

**Hochschule für Musik und Tanz Köln -  
Hochschulbibliothek**


**De musicae artis cummedicina connubio**

**Künzel, Anton**

**Halae, 1800**

---

[urn:nbn:de:hbz:kn38-9931](#)



R 274

Bücherel  
der  
staatl. Hochschule für Musik  
Köln

Hochschule für Musik Köln



KN38\$0000146520

Utopia. Scopium K.

DE

# MUSICAЕ ARTIS

CUM

## MEDICINA

CONNUBIO,



AUCTORITATE FACULTATIS MEDICAE,

PRAESIDE

## CURTIO SPRENGEL,

MED. DOCT., PROF. BUBL, ORD. MEDIC. ET BOTAN.,  
PRAEFECTO HORTI BOT., DIRECT. SOC. SYDENHAM.,  
ACAD. NAT. CURIOS. COLLEG., SOC. NAT. CURIOS. HA-  
LENS. ET BOTAN. RATISB. SODALI, SOC. MEDIC. ET CHI-  
RURG. HELVET. MEMBRO HONOR., SODALITII NATION.  
FRANCO — GALL. AD LITERAS EXORNANDAS INSTIT.,  
ET SOCIET. SCIENT. GOETTING. LITERARUM  
COMMERC. CONIUNCT.,

UT

## GRADUM DOCTORIS MEDICI

LEGITIME AQUIRAT

DIE XXIV. SEPT. MDCCC.

PUBLICE DISPUTABIT

## ANTONIUS KÜNZEL,

WAHLSTADIO — SILESIUS,

SOCIET. SYDENHAM. SODALIS.

HALAE,

TYPOGRAPH. FRIEDR. DANIEL.

FRANKF. Bücherei

der  
staatl. Hochschule für  
Musik  
Köln.



R 274

K 3A 12

2495M

# I.

*Musicae veteris vis in animos et mores populorum.*

## I.

**F**uit quondam insignis illa ac fere divina musicae artis efficacia, qua barbarae nationes a ferocia ad mansuetudinem, a crudelitate ad humanitatem, a ruditate ad animi cultum alliciebantur et invitabantur. Quod cum legislatores antiqui observassent suminam statuerunt esse partem musicae artis in educandis pueris et in formandis eorum moribus.

## 2.

Primi musicae artis apud Graecos inventores, Curetes, phrygicae originis, olympicorum ludorum institutores et eleusiniorum mysteriorum, cum musica arte et phrygicis modis cantuum mansuetos formarunt barbarae nationis mores<sup>1)</sup>. Phrygicum autem melos,

A 2

har-

1) *Pausan.* lib. VIII. c. 2. p. 350. ed. *Fat.* — *Strabo* lib. X. p. 722. ed. *Almeloveen.* — *Sprengels Gesch.* der Arzneik. Th. I. S. 648. f. (ed. secund.)

1960

R 274

harmonia destitutum, sed maiestate plenum et gravitate, moderationem inspirasse dicitur et omnes virtutes, quiae decent Deorum adoratorem<sup>2)</sup>). *Olympos* prae-  
primis tanquam auctori tribuitur haec antiquissima mu-  
sices ratio, cuius carmina abstraxisse animos et quo-  
dam modo rapuisse feruntur: ejusmodi autem en-  
thusiasmum ad mores formandos multum facere pro-  
fitetur *Aristoteles*<sup>3)</sup>.

Vetus est et omnibus nota de *Orpheo* fabula, quem  
Curetibus quoque adnumerant varii veteres, quemque  
tanta polluisse in fidibus tangendis et cantu formando  
arte, ut feros Thraciae incolas domare ipsiusque Cer-  
beri saevitatem mitigare potuerit. Quod pereleganter  
*Horatius* exprimit:

Unde vocalem temere insecurae  
Orpheus filvae,  
arte materna rapidos morantem  
fluminum lapsus celeresque ventos,  
blandum et auritas fidibus canoris  
ducere quercus<sup>4)</sup>.

Notissima est fabula antiqua de *Arione* Methym-  
naeo, delphinos fidibus suis ita domante ut fere huma-  
nita-

<sup>2)</sup> *Plato* de republ. lib. III. p. 410. ed. *Gryn.* — *Plutarch.*  
de music. p. 1137. ed. *Xylandr.*

<sup>3)</sup> *Aristot.* de republ. lib. VIII. c. 5. p. 570. ed. *Pac.*

<sup>4)</sup> *Horat.* carm. lib. I. ad. 12. v. 7 — 13.

nitatem induerent ipsique vehiculum femet ipsos offer-  
rent <sup>5).</sup>

3.

Vetustis proditum est monumentis, primos Arca-  
des in republica sua formanda musicae tantum tribu-  
tum ivisse, ut, cum ceteris vitae institutis uterentur  
severissimis, in musica tamen erudiri non solum pueros  
juberent, verum etiam adolescentes ac juvenes ad an-  
num usque trigesimum. Quod vero cum penitus ne-  
glexissent Cynaethenes, ad extremum usque eo dicuntur  
efferati, ut neque majora neque frequentiora summae  
impietatis scelera in ulla Graecarum urbium exti-  
rint <sup>6).</sup>

Cum itaque nullam disciplinis viam magis ad ani-  
mum patere quam per aures animadverterent prisci  
theologi et legum latores <sup>7)</sup>, in id omnes incubuerant,  
ut gravem illam ac majestate plenam, simplicissimam  
antiquissimamque musicam populis accentissimam redi-  
derent. Hinc *Lycurgus* bellicae exercitationi primus  
musicae adjunxit studium, ut nimius belli ardor modu-  
latione sonorum temperatus concinnitatem acquire-  
ret.

<sup>5)</sup> Simpliciter et ingenue narrat hanc fabulam *Herodotus*  
lib. I. c. 23. p. 11 — 12. ed. Reiz.

<sup>6)</sup> *Polyb. histor.* lib. IV. c. 20. p. 460. ed. Ernesti.

<sup>7)</sup> *Boëthius de musica*, lib. I. c. 1. p. 1371. (Opp. ed. Basil.  
fol. 1570)

ret<sup>8</sup>). Didicerat autem Spartanorum legislator a praecceptore *Thalete* Gortynio, Curete et ipso, quanta sit vis musicae artis in emolliendis moribus, nihilque tam facile in animos influere, quam varios canendi modos, quorum dici vix possit quanta sit efficacia in utramque partem, et ad accendendos languentium et ad mitigandos ferocium animos. Ipsa itaque musica ars in Spartam introduxit tum leges tum humanitatem tum fortitudinem ipsam, quibus tantopere gloriabantur veteres incolae<sup>9</sup>). Simili plane ratione immortalis Atheniensium legum lator *Solon* legis compositis et e lapide paeconis cantu pronunciatis, populum ad in eundum de integro bellum, quod finiendum esse jamiam lege sanctum erat, inflammavit<sup>10</sup>).

4.

Antiqui Graecorum theologi, musicam artem Deorum esse inventum autumantes<sup>11</sup>), musica instrumenta in manus Deorum imaginibus posuerunt, non fane, quod eos lyra aut cithara ludere putarent, sed, quod nullum Diis opus convenientius esse judicarent, quam *αερονιαν τε και συμφωνιαν*<sup>12</sup>). Harmonia enim credita est antiquitus coelestis esse, indolisque divinae ac daemo-

<sup>8</sup>) *Plutarch.*, Lacon. instit. p. 238.

<sup>9</sup>) *Id.* de musica, p. 1134. — *Licurg.* p. 41. — *Aristot.* de republ. lib. II. c. 12. p. 426.

<sup>10</sup>) *Plutarch.*, Solon, p. 82.

<sup>11</sup>) *Id.* de musica, p. 1136.

<sup>12</sup>) *Id.* de animae procreat. e *Timaeo*, p. 1030.

daemoniae<sup>13)</sup>: ipseque mundus ferebatur sonorum quodam concentu esse compositus et coelum ipsum sub harmoniae modulatione revolvi<sup>14)</sup>. Musicos quoque ita honorarunt veteres Graeci, ut statuas iis in Heli-  
cone ponerent<sup>15)</sup>.

5.

Antiquissima autem illa et gravissima musices for-  
ma cum mutatis Graecorum moribus quoque mutata  
fuit. „Mores enim, inquit *Cicero*, civitatum graeca-  
rum ad mollitatem lapsi pariter sunt immutati cum car-  
tibus, aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut  
„quidam putant; aut, eum severitas eorum ob alia  
„vitia cecidisset, tum fuit in auribus animisque mutatis  
„etiam huic mutationi locus<sup>16)</sup>.“ Quod jampridem  
ille sapientissimus Graeciae vir longeque doctissimus ita  
expressit, nunquam mutari musicos modos absque mag-  
nis legum et morum popularium mutationibus<sup>17)</sup>.

Praeter phrygicam illam harmoniam gravem ac  
εὐθεον, quae ad enthusiasmum rapere dicebatur, dorica  
composita magis et remissa prius viguerat, quae paucis  
ute-

13) *Aristot.* de republ. lib. VIII. c. 6. p. 572.

14) *Vincent. Bellovac.* specul. doctrin. lib. XVIII. c. 10.  
f. 244. (ed. Venet. fol. 1494.)

15) *Pausan.* lib. IX. c. 30. p. 91.

16) *Cic.* de legib. lib. II. c. 15. p. 774. ed. *Ernesti*.

17) *Plato* de republ. lib. IV. p. 403.

utebatur sonorum vicissitudinibus paucisque instrumentorum fidibus. Protinus vero ut Iones, mollem vitam degentes, cum Graecis hominibus sese miscuerunt, molliorem quoque ac delicatulam introduxerunt musicam, quam lubricam fuisse ac sensibus magis adulatam fuisse perhibent veteres <sup>18)</sup>). Lydica accessit harmonia, lugubris illa ac flebilis, quae contraria omnino veterum Graecorum moribus compositis ac gravibus putabatur <sup>19)</sup>). Dithyrambi accesserunt, quos licet phrygicae originis esse profiteatur Aristoteles <sup>20)</sup>), corrupisse tamen veterum musicam certum est <sup>21)</sup>).

Auctores autem novorum modorum ac multiplicium, quibus depravata est Graecanica musica, dicuntur *Polymnestus*, *Timotheus*, *Philoxenus*, *Creuxus* et *Terpander*. Graviter vero initio vindicabant veteres illae Graeciae civitates antiquos ludorum musicorum modos; longe enim providerunt, quam sensim pernicies illapsa civium animos malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates evertere possit. Spartani haud quaquam patiebantur, quemquam priscae musicae modum egredi, sed et Terpandrum citharoedum, ac sua aetate fidicinum principem multaverunt ephori, citharamque ei ademtam in publico adfixerunt, quod una

<sup>18)</sup> *Lucian.* *Harmon.* p. 585. ed. *Graev.*

<sup>19)</sup> *Plutarch.* *de musica* p. 1136.

<sup>20)</sup> *De republ.* lib. VIII. c. 7. p. 575.

<sup>21)</sup> *Schol.* *Aristoph.* nub. v. 332.

una chorda amplius intendisset vocis variandae gratiam. Sola enim simplicia probabant carmina <sup>22)</sup>). Et cum Timotheus Carneia certaret, unus ephorum arrepto cultro quaequivit, ab utra parte vellet abscondi nervos, qui quam septem essent plures. Imo concrematam fuisse citharam Timothei ferunt <sup>23)</sup>). Ipse quoque Timotheus Athenas adgrediens, ob novitatem artificii exhibilatus et peccasse in leges musicas creditus, monebatur tandem ab Euripide, bono sit animo, qui mox sub se habiturus sit theatra <sup>24)</sup>.

## 6.

Veteres omnes philosophi sicut musicam artem crediderunt adeo necessariam cuivis esse homini, ut et, qui carere ea velit, non possit; ita etiam in eo convererunt, gravem illam priscorum musicam ad formos mores efficacissimam esse et utilissimam, moque praestare multiplici novorum modulatione, quipque sensus folos demulceat <sup>25)</sup>.

Quem fugit, Pythagoram non solum numeris et mathematicorum initis proficii volui: omnia, sed ad harmoniam etiam canere mundum credisse <sup>26)</sup>!

Quem

<sup>21)</sup> Cic. de leg. lib. II. c. 15. p. 774. — *Plutare* Lacon.

instit. p. 238.

<sup>22)</sup> *Plutarch*, l. c. — *Pausan.* lib. III. c. 12. p. 82.

<sup>23)</sup> *Plutarch*, an seni sit gerenda res publ. p. 79.

<sup>24)</sup> *Plato* de leg. lib. II. p. 664.

<sup>25)</sup> Cic. de nat. Deor. lib. III. c. 11.

Quem fugit eumdem statuisse summum bonum esse perfectam aequalitatem ac tranquillum animi virium contentum, quo reprimatur omnis perturbatio omnisque affectus, unde musicas harmonias satis necessarias esse putavit ad servandum eum animi statum <sup>27)</sup>). Dicitur quoque ebrium adolescentem Tauromitanum, sub Phrygii modi sono incitatum, spondaeis cantibus reddidisse mitiorem suique compotem. Namque cum scorbutum in rivalis domo esset clausum, atque ille furens domum vellet amburere, multisque amicorum hortationibus nollet a facinore desistere, sapientissimus vir praecepit modum spondaeum recitari atque ita furentis adolescentis animum ad statum mentis pacatissimum temperavit <sup>28)</sup>).

Ita etiam *Plato* virilem illam antiquam musicam ad rmando puerorum mores, tanquam educationis insinem partem commendavit, nuperioribus cantuum mos damnatis, quippe quae sensibus potius inferiari <sup>29)</sup>). Hinc cum gymnastica arte musicam comparat quod illa corpus, haec animam formet ac decoret ). „Summam, inquit *M. Tullius*, eruditionem „Grae sitam censebant in nervorum vocumque cantibus Igitur et *Epaminondas*, princeps, meo iudicio,

<sup>27)</sup> *Einers Gesch. der Wissenschaften*, Th. I. S. 443.

<sup>28)</sup> *Etib. de musica*, lib. I. c. 1. p. 1372.

<sup>29)</sup> *Pto de republ.* lib. IV. p. 410.

<sup>30)</sup> *Il lib. III.* p. 400. 401.

„cio, Graeciae, fidibus p<sup>rae</sup>clare cecinisse dicitur,  
 „Themistoclesque aliquot ante annos, cum in epulis  
 „recusaret lyram, habitus est indoctior. Ergo in Grae-  
 „cia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec,  
 „qui nesciebat, satis exultus doctrina putabatur <sup>31)</sup>“

## 7.

Mirae illae, quas de summa musicae graecae antiquissimae vi ac efficacia narravi, historiae fidem forte quibusdam minime mereri, sed inter nugas fabulasque referendae esse videntur. Verum quidem quivis arbitrabitur, verba ipsa, quibus referuntur eiusmodi historiae, fidei esse contraria. Ecquis enim crediderit, Orphea bruta ipsa, silvasque et lapides cantu ad se convocasse, aut Amphiona lapides lydi <sup>modo</sup> coegisse ad muros Thebarum exstruendos <sup>32)</sup> Is etiam verum putaverit murorum Hierochunorum lapsum a tubarum exercitus Israëlitici sono. uodsi vero a verbis recesserimus, subest omnino aliud veri his historiis, magna<sup>33)</sup>que inde musicae arti uocet efficacia tum ad domandos tum ad excitand<sup>anix</sup> adfectus. Imo recentiora tempora nobis tradut exemplorum copiam, quae cantuum sonorumque vii ac gravitatem luculenter demonstrant. Quod ad confirmandas veterum sententias paucis exemplis evincee conabor.

## 8.

<sup>31)</sup> Cic. tusc<sup>l</sup>, quaest. lib. I. c. 2.

<sup>32)</sup> Pausan. lib. IX. c. 5. p. 17.

Satis memorabilem refert historiam *Saxo Grammaticus* de *Erico I.*, *Ejegod* dicto, qui Daniae rex, saeculo undecimo fuit. Adfuit quondam in coena regia musicus, qui, cum multa de artis suae laudibus disputasset, sonorum quoque modis homines in amenantiam furoremque pertrahi posse adseverabat; quin etiam tantas fidibus esse vires dicebat, ut perceptis eorum modulationibus adstantes mente constatueros negaret. Cumque, an ejusmodi usu calleret interrogatus peritiam fateretur, tum precibus regis tum etiam minis effectum edere compellitur. Artifex itaque primum arma omnia efferri ac praesto esse, qui furentibus succurrerent, jussit. Tum fidibus operam dare exorsus nusitatos musicae modos protulit: quorum circuantes moestitia ac stupore comple-  
 Post aetulantiorem mentis statum vegetioribus lyrae sonis aucti, jocabundis corporum motibus gestiendo dolore plausu permutare coeperunt. Denique ad rabiem temeritatem usque modis acrioribus incitati, captum ventia spiritum amoribus prodiderunt. Ita animo habitus modorum varietas inflectebat. Igitur quin in atrio melodiae expertes considerant, regem cui admissis furere cognoscunt, irruptaque aede furem complexi, comprehensum continere nequibant. Victo itaque collectantium robore, convulsis reiæ foribus arreptoque ense, quatuor milites continendi ejus gratia propius accedentes confudit. Denique pulvinarium mole, quæ undique a satellitibus congerbantur, obrutus, magno omnium peri-

periculo comprehenditur. Ut vero ad semet ipsum rediit, expiandi numinis gratia, religiosae peregrinationis propositum amplexatus est <sup>33)</sup>).

## 9.

Alind exemplum narratur de Amurate IV. saevissimo fratrum exterminatore, qui saeculo praeterito Osmanicum imperium moderabatur. Is a perito psalterii magistro eo est redactus, ut et ei et amicis vitam condonaret et ipse demam lacrimas non contineret <sup>34)</sup>). Unde verum esse patet, quod *Rogerius Baco* dixit, musicae harmoniae suavitati nec summam saevitatem posse resistere, neque musicam habere, qui iniquitati se dederit <sup>35)</sup>).

Notissima est narratio de insigni, quem melos helveticum (*Rein de vaches: Küb-Reigen*) in exules helveticos producit, effectu. Patriae subito desiderio, seu nostalgia corripi, lacrimas fundere, deferere arma atque summo animi moerore fere confici dicuntur. Unde vetitum esse in exercitibus gallicis huius cantilenae ludum, perhibent. *Rousseau*, qui ipse rhythmum huius melodiae nobis exhibuit, nihil energici in ea reperire se posse fatetur <sup>36)</sup>.

Qua-

<sup>33)</sup> *Saxo Grammat.* histor. Dan. lib. XII. p. 226. (ed. *Sephanii*, fol. Sorae 1644).

<sup>34)</sup> *Haller elem. physiol.* tom. V. p. 304.

<sup>35)</sup> *Rog. Baconis opus maius*, p. 111. ed. *Jebb*.

<sup>36)</sup> *Dictionnaire de musique*, par *Rousseau*, p. 330. art. *Musique*.

Quanta fuerit in ipsum immortalem civem Genesensem efficacia musicae italicae, perbelle ac eleganter hisce exprimit verbis: „Je ne fais, quelle sensation voluptueuse me gagnait insensiblement. A chaque phrase quelque image entrait dans mon cerveau, ou quelque sentiment dans mon coeur: le plaisir ne s'arrêtait point à l'oreille, il pénétrait jusqu'à l'ame: l'exécution coulait sans effort avec une facilité charmante. . . . Mais, quand après une suite d'airs agréables, on vint à ces grands morceaux d'expression, qui savent exciter et peindre le désordre des passions violentes, je perdais à chaque instant l'idée de musique, de chant, d'imitation: je croyais entendre la voix de la douleur, de l'emportement, du désespoir: je croyais voir des mères éplorées, des amans trahis, des tyrans furieux; et dans les agitations que j'étais forcé d'éprouver, j'avais peine à rester en place. Je connus alors, pourquoi cette même musique, qui m'avait autrefois ennuyé, m'échauffait maintenant jusqu'au transport; c'est que j'avais commencé de la concevoir, et que si-tôt qu'elle pouvait agir, elle agissait avec toute sa force<sup>37)</sup>.“

## 10.

Id autem persuasum habeo, eo fortiorem esse musicæ artis effectum in animam, quo minus depravata est et corrupta mens et luxu et variis artificiis. Namque quo minus a natura recedit homo, eo fortiores sunt animi affectus, eo facilius externis caussis, impirmis

<sup>37)</sup> Nouvelle Héloïse, tom. I. lettre 48. p. 195. ed. Bipont

mis sonis, excitantur et accenduntur <sup>38)</sup>). Hinc explicari possunt mirificae historiae effectuum, quos musica veterum produxit <sup>39)</sup>).

---

## II.

### *Musicæ vis in morbos.*

---

## III.

Præsea mortalium gens egregie perspexit, cantu et varia sonorum modulatione posse pariter corporis ac animi affectus curari, aut saltem mitigari, idque eo facilis, quo magis imaginatione accensa morbos fugare studebant. Hujus rei testimonia tradit historia Israëlitarum ac Indorum: utraque autem natio ad antiquissimas pertinere creditur.

Eccū non dicta est Sauli curatio melancholia laborantis, quam peregit Davides fidibus et cantu suavissimo!

<sup>38)</sup> Sulzers Theorie der schönen Künste, Th. III. S. 350. (ed. 1787). Brown's Betracht. über Poësie und Musik, S. 99.

<sup>39)</sup> Burney's history of music, p. 181. (4. Lond. 1776). — Perrault de la musique des anciens, dans ses Essais, tom. I. p. 313.

vissimo <sup>40</sup>)! Ita quoque Indi curabant antiquitus fere omnes morbos carminibus et musica <sup>41</sup>).

## 12.

Apud veteres vero Graecos tota fere, quam herœs exercebant, medicina in carminibus et musica arte versabatur. Quod quidem antiquissima narratio de Ulyssis peregrinationibus confirmat. Cum enim ille a pro sauciatus esset, Autolyci filii crudorem atrum incantationibus dicuntur repressisse <sup>42</sup>). Ut omnes morbi irae Deorum tribuebantur, ita hymnos et carmina, ut expientur numina, decantare solebant Graeci: exemplo pestis illius saevissimae, cuius statim ab Iliados initio mentio fit, quaeque tum Chrysifis sacris, tum paeaniis et cantu in honorem Apollinis pronunciatis, sedebatur <sup>43</sup>). De ipso Aesculapio, Graecæ medicinae auctore, testatur Pindarus, mollibus carminibus curasse valetudines <sup>44</sup>). Et in omnibus Aesculapii templis hymnorum aut *vóμων* cantus in honorem Dei summam partem curationis constituebat: tympanis etiam et cymbalorum conquassationibus aliquisque musicis instrumentis cantum comitari mos erat <sup>45</sup>).

Ita

<sup>40</sup>) I. Sam. XVI.

<sup>41</sup>) *Hindu's Gesetzbuch*, übers. von Hüttner, K. III. S. 213.

<sup>42</sup>) Odyss. XIX. 457.

<sup>43</sup>) Iliad. I. 472.

<sup>44</sup>) *Pindar. pyth.* III. v. 84.

<sup>45</sup>) *Plat. Ion*, p. 360. — *Arnob. contra gentes*, lib. VII. p. 114, ed. *Elmenhorst*.

Ita et in Italia, cum Troës advenae primum ibi apparebant, fortissimus *Umbro cantibus somniferis vulnera curare solebat*<sup>46</sup>). Et ipse Hyperboraeus *Abaris* carminibus fere solis pestem morbosque contagiosos fugavit<sup>47</sup>). Id et de *Thalete* Gortynio narratur, quem, vatem sua aetate celeberrimum, Lacones advocarunt, ut pestem exterminaret: factum autem id est carminibus et musicis modis<sup>48</sup>).

## 13.

Summus vero musicae artis cum medicina coniungendae praeco *Pythagoras* fuit Samius, qui sacram solisque templis terminatam medicinam in sapientum scholas introduxit. Is insignem esse ac prope divinam musicae efficaciam perhibebat in morbis diuturnis sanandis, maxime iis, qui ab affectibus animi profecti essent<sup>49</sup>): ipseque cantuum variis modis *Pherecydem magistrum* morbo diurno liberasse dicitur<sup>50</sup>).

*Empedocles* Agrigentinus, elementaris theoriae auctor, morbis ipsis nihil opponere solebat, nisi cantus et varias hymnorum ac lustrationum formas<sup>51</sup>).

Theo-

<sup>46</sup>) *Aeneid.* VII. 757.

<sup>47</sup>) *Plat.* *Charmid.* p. 244. *Suid.* *voc.* *Ἄρετος*, p. 3. 4.

<sup>48</sup>) *Plutarch.* *de musica* p. 1146.

<sup>49</sup>) *Porphyry.* *vit. Pythag.* p. 193 ed. *Holsten.*

<sup>50</sup>) *lb.* p. 186.

<sup>51</sup>) *Diogen.* *Laert.* lib. VIII. c. 77. p. 539.

*Theophrastus Eresius* in libro, quem de enthusiasmo scripsit, tibiae cantum adversus varios morbos, praesertim contra ifchiadem, commendaverat <sup>52).</sup>

*Asclepiades Bithynius* in mania adhibendam praecepit cantilenam, quo consentiunt varii ejus sectatores, tibiarum cantibus varia modulatione utentes: quarum altera phrygia dicta, jucunda putabatur ac excitans animum, pae moestitia furore correptum; alia gravis et composita, quam doricam appellabant, iisque commendabant, qui puerilibus cachinnis adfiebantur: cum cantilenae sonus caput impleat accendatque aliquos in furem, quo saepe vaticinantes Deum accipisse videantur <sup>53).</sup>

Contra omnem morbi dolorem *Avicenna* dulcem suadet cantilenam <sup>54).</sup>

Haec et plura alia veterum loca, quae usum musices in morbis confirmant, collegerunt *Tiraquellus* <sup>55)</sup> et *Frankius de Frankenau* <sup>56).</sup> Ut autem regeri nobis nequeat, solis veterum testimoniis subsistere, ad nupe-  
riora

<sup>52)</sup> *Apollen. Dyscol. hist. mir. c. 49. p. 45. ed. Meurs.*

<sup>53)</sup> *Cael. Aurel. chron. lib. I. c. 5. p. 337. 338. ed. Almeloveen.*

<sup>54)</sup> *Can. lib. I. fen. 4. c. 30. p. 85. ed. Rin.*

<sup>55)</sup> *De nobilit. c. 31. n. 300 p. 175. (Opp. ed. Francf. 1574. fol).*

<sup>56)</sup> *Satyr. med. p. 474.*

riora tempora transeamus, memorabilia adducturi ex enim.  
pla curatorum ope musicae artis morborum.

14.

*Furorem* maxime et *insaniam* suavibus cantilena-  
rum et musicae modis cedere, plurimis constat recen-  
tiorum medicorum observationibus. Sic in Gallia no-  
bilis matrona *zelotypia* in furorem acta, e monachi  
consilio per musicam amoenissimam, trium mensium  
spatio ad sanitatem redacta fuit. Alia illustris femina  
Rothomagi, *du Parreau* nomine, in variis morbis, imo  
et in partu nullam aliam adhibuit medicinam, quam  
musicam. Et cum ingravescente aetate arthriticis ge-  
nu doloribus acutissimis vexaretur, musico semper  
pro medico usa fuit, talique modo vitam suam ad an-  
num centesimum sextum protraxit <sup>57</sup>).

Insignis quidam melancholicus, musices haud imperitus, cum variis remediorum formulis diu multumque usus fuisset, novo tamen eoque gravissimo paroxysmo obrutus, in summis angustiis ac inter profunda suspiria medicum rogat, unicum adhuc atque praestantissimum adhbeat remedium, nempe clausulam ecclesiasticae illius cantileneae (*Vom Himmel kam der Engel Schaar*) vulgata melodia. Quam cum medicus in sche-  
dula notis consignasset, aeger subito in profusum ca-  
chinnum solutus, grabato se levat exsultans et a gra-  
vissimo hoc malo penitus liberatur <sup>58</sup>).

B 2

15.

<sup>57</sup>) *Boecler* progr. de musica, p. 114.

<sup>58</sup>) *Eph. nat. cur. dec.* II. ann. I, obs. I, p. 5.

## 15.

In furore febrili quoque insignem esse musicae artis efficaciam, e sequenti, quam refert *Dodartus*, historia eluet. Celeberrimus quidam musicus febre corripitur vehementissima, ad quam ferox accessit delirium, clamoribus, pavoribus et lacrimis junctum. Quod, cum biduum jam moratum fuisset, instinctu quodam salubri compulsus concentum musicum audire desiderat. Id aegre quidem medicus largitur. Protinus vero ut primum symphoniae initium audiisset, hilari vultu aeger lacrimas profudit, febre liberatur, quamdiu concentus audiretur. Repetitis tandem per decem dies symphoniis, noctuque cantibus vulgaribus a muliercula quadam pronunciatis miro modo liberatur aeger omni febre <sup>59)</sup>.

Alia observatio maiore forsan admiratione digna videtur. Saltator quidam, febre nervosa correptus, vehementer furere coepit, neque ullo modo furor ille a medicis sedari potuit. Amicus aegri chely eos modos canens, quos maxime amare aegrum sciebat, perrexit his modis, donec aeger delirio fugato somno opprimitur, quo tandem crisis salutaris arcessitur <sup>60)</sup>.

## 16.

In rabie canina et adversus morsus aliorum animalium rabidorum veteres iam medici musicam com-  
men-

<sup>59)</sup> Hist. de l'acad. des scienc. à Paris, a. 1707. p. 8.

<sup>60)</sup> Ib. a. 1708. p. 172.

mendarunt <sup>61</sup>). Quod nuperis temporibus repetiit Burdigalensis medicus, *de Sault*, egregios observans successus musices in accessibus ipsis hygrophobiae <sup>62</sup>).

Arthriticos dolores et nuperis temporibus modulatione sonorum et cantibus fugatos esse, exempla ducis Bavarici Alberti et Itali cuiusdam, quae refert *Conr. Gesnerus* <sup>63</sup>), docent. *Sauvagesius* vidit adolescentem, qui in febre gravi a cephalalgia vespertinis horis in paroxysmo revertente non levabatur, nisi sono tympani bellici, quod ut pulsaretur amicos rogabat: a quo quidem sono adstantes fere dolores capitis sentiebant <sup>64</sup>).

17.

Contra hystericos paroxysmos *Pommius* efficacissimas invenit musicas modulationes: harum enim auxilio tum hallucinationes tum spasmi sedabantur <sup>65</sup>). In febre lenta nervosa variolas comitante musicam salutares prodidisse effectus refert *Berdoltius*, medicus Montisbeligardensis <sup>66</sup>). In debilitate a morbillis su-

per-

<sup>61</sup>) *Tiraquel*, l. c.

<sup>62</sup>) *Tiffot* von Nervenkrankheiten, Th. IV. S. 731. 732.

<sup>63</sup>) *Ib.* p. 721.

<sup>64</sup>) *Sauvages* nosolog. method. vol. II. p. 231. ed. Amsteld. 4. 1768.

<sup>65</sup>) *Pomme* traité des vapeurs, tom. I. p. 16.

<sup>66</sup>) *Tiffot* l. c. p. 738.

perseste musicō concentu publico vires fere subito restitutas fuisse narrat *Tiffotus*<sup>67)</sup>; ita alio loco legi delirium a morbo gravi superstes musica fuisse penitus fūgatum<sup>68)</sup>.

## 18.

Celebratissimum exemplum effectus, quem musica in morbis prodit, fistunt nobis historiae morsuum, quos infligere dicuntur *Araneae Tarantulae* in Apulia, *Baglivus* qui uberrime et morbum et medelam descripsit, perhibet, demorsos nonnullos, paucis horis a morsu elapsis, corripi ingenti cordis angore, gravi moestitia, sed graviore spirandi difficultate, moesta voce conqueri oculisque turbatis inspicere. Addit, quibusdam demorsis colorem vestium quendam per quam ingratum esse, quem si adspiciant, novo angore ac spirandi molestia adfici. Abire denique dicuntur haec symptomata in melancholiam sui generis, saevam eam quidem ac pervicacem, qua correpti sepulcra ament, quin morte in saepius sibi consciscere cupiant<sup>69)</sup>.

Unicum autem adversus dirum hunc morbum praedicatur remedium, musici modi: quibus auditis aegri ad saltationes vel inviti cogantur, quas per plures saepius horas, sudorum pleni, continent, donec quieti

<sup>67)</sup> *Ib.* p. 722.

<sup>68)</sup> *Herder* vom Geiste der ebräischen Poësie, Th. II. S. 271.

<sup>69)</sup> *Bagliv.* de tarant. mors. in opp. p. 615.

quieti et somno se tradant. Et, quod mirum est, a vehementibus his saltationum laboribus, lassitudinem nullam aut debilitatem sentire aegri, sed exinde multo agiliores evadere atque fortiores dicuntur. Quodsi vero dissonantiam quamdam in sonorum modulamine percepint, adeo vehementibus adficiuntur suspiriis et cordis angoribus, ut intermittere saltationem cogantur. Choreis illis per tres aut quatuor dies continuatis sensim sensimque liberantur et melancholia et omnibus ipsius sequelis <sup>70)</sup>.

Quae quantum a veritate recedant, aut cum ea congruant, postea inquirendum est.

<sup>70)</sup> *Ib.* p. 622.

## III.

*Expositio effectuum musices.*

## 19.

Soni, qui auditum adficiunt, nil nisi aëris concussi ac vario modo vibrantis undae sunt. Hinc nervum acusticum adfici atque mutari a sonis necessarium est.

Quodsi vero aëris particulae multo magis corporeae sunt quam lucis, auditus organon multo vehementius etiam adfici sonis, eamque affectionem multo fortius accelerius alios nervos participare necessarium est, quam id in aliis sensuum organis fieri possit. Suavis enim modulatio sonorum longe fortius agere et gratius visa est, quam adspectus colorum egregie variantium <sup>7)</sup>.

## 20.

Hinc mechanici plurimum subest actioni sonorum in nervorum systema. Namque aëris concussi undae nullo

7) Salzers Theorie der schönen Künste, Th. III. S. 348.

nullo modo alio quam mechanico adficere nervos pos-  
sunt, maximeque inservit is effectus musices ad de-  
struendas chemicas hypotheses, quae fingi nuperrime  
solent de plerisque corporis actionibus.

**A** fortissimis, acutissimis, gravissimis sonitibus  
vitra et scyphos rumpi observatum iamdiu est. Fran-  
gebantur vitra voce humana, ab unisono, et effica-  
cius ab octava subito nata superiore, cuius tremores  
celeriores in separandis vitri elementis plus haberent  
roboris <sup>72</sup>). A tuba mireris non ruptos fuisse scyphos,  
licet aqua subsiliret ac effueret <sup>73</sup>).

Quid quod a certae campanae sonitu concuti co-  
lumnam quandam in aedibus sacris Remi observatum  
fuit <sup>74</sup>).

In bruta quoque agere musicam iam pridem ani-  
madversum est, ac quotidie animadverti potest. Non  
elephantos tantummodo ad coitum incitari suavissimo  
musico concentu, sed lupos etiam fidibus pulsatis in  
fugam verti et nostros canes tubae aut citharae quibus-  
dam modulationibus adeo affici notum est, ut ululent  
nervorumque tensionibus corripiantur.

21.

<sup>72</sup>) *Bartoli trattato del suono de tremori armonici*, p. 190.  
(4 Bologn. 1680).

<sup>73</sup>) *Ib.* p. 187.

<sup>74</sup>) *Rousseau dictionn. de musique*, p. 328.

Cur placeant aut displiceant soni, exponi omnino nequit. Multum certe facit ad gratiam comparandam facilis successio sonorum, quam haud aegre animus comprehendere possit <sup>75</sup>). Ea vero non sola causa est: testantur enim artis periti, gratissimas esse rationes multo maiores in melodiis, quam quae a mente facile comprehendi possint <sup>76</sup>).

Ordinem, quo soni succedunt, in medium attulit Eulerus <sup>77</sup>), ut gratiam eorum exponeret: sed bene monuit Hallerus, nec eam caussam solam admitti posse, quum eum ordinem musicae artis peritus solus percipiat, voluptate omnes adficiantur <sup>78</sup>).

Id folummodo persuasum quotidianaque experientia confirmatum habemus, fortes omnes, sibilantes, gravissimos et acutissimos sonitus auribus molestos esse atque ingratos: unde mechanica illa explicatio fulcrum insigne acquirit. Dictum enim iam olim est, et non sine ratione, quod cum his acutissimis sonis brevissimae zonae cochleae chordae adeo contremiscant, ut penitus disolvantur <sup>79</sup>). Dictum est, vibrare omnino nervos ad

<sup>75</sup>) Roger de vi musices, p. 63. (4 Avenion. 1758).

<sup>76</sup>) Bartoli l. c. p. 235.

<sup>77</sup>) De sono diff. p. 31. (4. Basil. 1727).

<sup>78</sup>) Haller elem. physiol. vol. V. p. 303.

<sup>79</sup>) Roger l. c. p. 101.

ad quemvis fragorem, vibrare ad quamvis sonorum modulationem, gratiamque proficiisci a facili et regulari nervorum oscillatione <sup>80</sup>).

## 22.

Mechanici aliquid subesse elucet etiam ex illa observatione, iuxta quam sanguis missus, quoties tympanum pulsaretur, fortiori ictu de vena propellereatur <sup>81</sup>). Alium effectum musices *Rousseau* observavit, feminam nempe nullam sonorum modulationem audire potuisse sine cachinno involuntario et convulsivo. Refert idem exemplum Gasconis cuiusdam, qui, quoties fistulae utriculariae (*cornemuse*) sonum audiret, urinam continere non posset <sup>82</sup>). *Tiffotus* aliud exemplum adfert epilepsiae a musica ortae <sup>83</sup>). Quae quidem omnia evincunt, quanta sit huius artis efficacia in producendis mechanicis nervorum concussionibus.

## 23.

Quod denique morbum attinet, quem a tarantulae morsu ortum musica curari maiores nostri adfirmabant, nuperis demum temporibus animadversum est, maximam huius historiae partem esse fictitiam atque

(80) *Cheyne* de infirmorum sanit. tuenda, p. 168. 169. (81) Lond. 1726).

(81) *Zodiac. medic. gallic. vol. II. p. 149.*

(82) *Rousseau* l. c.

(83) L. c. p. 737.

atque a mendicis Apulis prolatam, ut misericordiam moverent. *Kählerus*<sup>84)</sup>, *Swinburnius*, *Turnbullius*, aliique uno ore adfirmant:

- a. Araneam hanc mordere quidem et ictum saepe tumorem producere, sed nequaquam praedicta symptomata.
- b. Melitae et Tarenti insignem esse copiam tarantularum, neque unquam noxios producere effectus.
- c. Calabriae incolas musomaniacos fere esse a choreas insigniter amare, unde cum bacchantibus veterum saltatores eiusmodi a tarantulis morti comparari possint.
- d. Hystericas fere esse mulieres aut hypochondriacos viros, qui chorea S. Viti laborent, atque musicis accentibus saepius leventur<sup>85)</sup>.

<sup>84)</sup> Schwedische Abh. I. 1758. S. 100.

<sup>85)</sup> *Finkens* medic. Geogr. Th. I. S. 90.

# THESES.

---

## I.

Systematis nervosi officium non ad solos motus voluntarios et sensationes restringendum esse videtur.

## II.

Noxia materiei transpirabilis natura est neganda.

## III.

Causa proxima febris hecticae est irritabilitas aucta cordis et arteriarum, a teneritate per imminutam nutritionem orta.

## IV.

Galactirrhoca erronea nondum est probabilis.

V.

Nec variolae ex Africa, nec lues venerea ex America ortum duxisser videntur.

VI.

In hydrope sanguinis missio saepe praestantissimum est remedium.

---

DISSERTATIO BOTANICA INAUGURALIS

DE

# I U N C O

Q U A M

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E

VIRO PERILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,  
ACADEM. FRIDERICIAN. PRORECTORAE MAGNIFICO,  
FACULTATIS MEDICAE DECANO

PHIL. FRID. THEOD. MECKEL

REG. BORUSS. A CONS. INT.

MEDIC. DOCT. ET PROF. PUBLICO ORDINARIO  
ET INSTIT. CLIN. CHIRURG. DIRECT.

U T

GRADUM DOCTORIS MÉDICINAE  
LEGITIME OBTINEAT

D I E I V . A P R I L . M D C C C I .

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

FRID. GUILIELM. THEOPH. ROSTKOVIUS  
NEOMARCHO - DRISENiensis.

---

H A L A E

T Y P I S F R I D . A U G . G R U N E R T I F A T R .

354.3.1 JAZZ AGENTOR. G. T. PLASSIG

G O M U I

DE BETHA. 1920. 12. 100

G O M U I 1920. 12. 100

DE BETHA. 1920. 12. 100

DE BETHA.

DE BETHA. 1920. 12. 100

DE BETHA.

**P R A E F A T I O.**

Cum absoluto cursu academico de specimine  
inaugurali meditarer, inter varia argumenta  
sua su optimi Praeceptoris Clarissimi WIL-  
DENOWII, Professoris Historiae naturalis Be-  
rolini, e ditissimo Suo Herbario Iunci genus  
selegi, quod benevolentia Celeberrimorum Vi-  
rorum LINKII, MÜHLENBERGII, STE-  
PHANII, et HOPPII valde auctum evasit,  
spe fretus hocce tentamen Botanophilis haud  
ingratum fore.

Omnes a me vissas species ad Specimina  
sicca descripsi, in plantis mihi ignotis aliorum  
auctorum descriptionibus usus sum, charac-  
teres specierum in quantum potui, emendavi,  
synonyma auctorum sollicite allegavi, novas  
adhuc nondum depictas in aesiūcidere cura-  
vi atque patriam cum duratione non omisi.  
Vale Lector benevole mihi meisque conatu-  
bus fave.

---

---

## DE IUNCO IN GENERE.

Iunci denominatio a iungendo est orta, cum ex Iuncorum coniunctis culmis sellae, mattae aliaque utensilia plectantur. Diversae vero Iunci species apud **PLINIUM** aliosque auctores antiquos recensitae ab iis nostro seculo ita nuncupatis longe differunt. Iuncus erat veteribus vegetabile figura graminis, culmo enodi firmo; hinc plerique Scirpi, paucique Iunci sub hoc nomine veniebant. **C. BAUHINUS** ipse, qui assidue omnia suo tempore detecta vegetabilia in Prodromo Theatri botanici collegit, Iuncum antiquorum, licet pleraeque species habitu diversissimo essent instructae, absque firmo charactere servavit, et aliis valde diversis generibus nempe: Eriophoro Aphyllante et Butomo adauxit. Paucos vero Iuncos sub hoc titulo, reliquos sub nomine **Graminis iuncei** indicavit. **Agrostographus** suo aevio maximus **SCHEUCHZERUS** genera **BAUHINI** amplexus est, nec rite Iuncum distinxit, quod mirum, cum ne minutissimas quidem graminum et affinum vegetabilium partes in suis sesquipedalibus descriptionibus omiserit.

Ante tempora **TOURNEFORTII** magni, huius celeberrimi Botanices reformatoris, genera ex lu-

A

bidine, vel ob habitum et similem locum natalem, vel ob usum et vires erant definita. **TOURNEFORTIUS** flores fructusque structuram pro norma assumpsit atque inde genera certis limitibus circumscripta stabilivit. Graminum quidem genera haud accurate secrevit, affinium tamen vegetabilium ad quae *Iuncus* pertinet. **MONTIUS** in suo *Prodromo* catalogi stirpium agri Bononiensis **TOURNEFORTIUM** secutus est. Oculatissimus **MICHELIUS** strenuus plantarum observator, *Iunci* species **TOURNEFORTII** differentem fructus structuram internam habere, primus omnium est scrutatus. Hac de re bina diversa genera, nempe: *Iuncum*, qui capsula triloculari polysperma, et *Iuncoiden*, quod capsula uniloculari trisperma gaudet, formavit. **LINNAEUS** denique magnus, seculi praeteriti deus, bina iterum a **MICHELIO** proposita genera in unum coniunxit, cum eorum characteres minoris sint momenti, nec habitu gaudeant vario, et quoniam species similes, distinctu quam difficiles, sola capsula differant.

Descriptionem five characterem generis *Iunci* **LINNAEUS** in generibus suis plantarum dedit, sed in floris partium denominatione errasse videtur: Corollam enim praetervisit et calycem penitus neglexit, vel potius leviter tetigit, nec dandis suis definitionibus in descriptione specierum fidus mansit.

Partes floris huius generis saepenumero, cum in indigenis, tum in exoticis speciebus examini subieci et in omnibus sequentem observavi structuram:

**Calyx.** *Gluma bivalvis persistens membranacea, valvulis subaequalibus oblongis acutis corolla duplo vel triplo brevioribus.*

**Corolla.** *Hexapetala persistens, petalis lanceolatis acutis subaequalibus patentibus.*

**Stamina.** *Filamenta sex capillacea brevissima. Antherae linares erectae longitudine corollae.*

**Pistillum.** *Germen oblongum trigonum superum. Stilus filiformis brevis Stigmata tria duplo triplove longiora filiformia pubescentia subflexuosa erecta.*

**Pericarpium.** *Capula calyce corollaque obtecta, triquetra oblonga trivalvis vel unilocularis vel trilocularis loculamentis in medio valvularum.*

**Semina.** *elliptica nitida, tria in capsula uniloculari, plura in triloculari.*

Variant in quibusdam speciebus petala, sunt vel sex aequalia, vel exteriora tria longiora et angustiora, in plerisque patentia durante anthesi, in nonnullis campanulata. Stamina sunt rarius corolla longiora, et numerus eorum est fere semper senarius, excepto Iunco conglomerato qui tribus tantum gaudet. Prae reliquis variat in diversis Iuncis calyx, est enim plerumque bivalvis, quandoque univel trivalvis, nonnullis etiam deesse videtur; denique in aliis a corolla remotus deprehenditur.

Essentialis generis character e floris indicata forma et capsulae valvulis, nec e loculamentis, nec a numero seminum est petendus. Partes enim floris

fructusque variantes semper vitandae sunt; hinc es-  
sentialis Iunci character sequens erit:

*Calyx* bivalvis. *Corolla* hexapetala persistens.  
*Stigmata* tria. *Capsula* trivalvis.

Botanici in plantarum conformatione affinitatem aliquam esse observarunt, quibus vinculi ad instar vegetabilia habitu aberrantes connectuntur. In hac conformatione catenam, quam natura in procreandis vegetabilibus est secuta, quae sive; ast alma natura nulla formavit genera inter se per lineam rectam cohaerentia, sed quodlibet vegetabile pluribus est simile. Attamen affinitas aliqua generalis in florū fructuumque forma non ex toto est neganda, ut abunde iam vegetabilium divisiones vulgi, quippe: **Gramina**, **Lolia**, **Musci** etc. demonstrant. Nonnulli Botanici celeberrimi, inter quos eminent **LINNAEUS**, **IUSSIEUS**, **BATSCHIUS** et alii, affinitatem hanc sic dictam naturalem, ad minutissima usque vegetabilium genera sunt persecuti, uti opera doctissima Virorum nominatorum abunde demonstrant, inter quos reliquis Clariss. **IUSSIEUS** palmarum praeripuit. Ordines eius naturales obser-  
torem acutissimum nobis ostendunt, qui vinculum naturale strenue investigavit et artificiale, aspectu perquam iucundum aedificium, exstruxit. Iuncum secundum **IUSSIEUS** familiam propriam gramina et lilia connectentem fingit.

*Calyx* Iunci est re vera eius formae ac in graminibus, *corolla* et *capsula* est liliacea, antherarum denique figura graminibus propior. Praeterea Iun-

cus Calamo, quoad floris structuram est similis, excluso calyce bivalvi, cuius loco in Calamo spatha plures flores comprehendens videnda est. Calamus propior est Palmis, quibus a nonnullis et adnumeratur. Triglochin vegetabile liliis proprius quam graminibus, Iuncus est simillimum, differt tantum defectu calycis bivalvis, atque styli, et quod forma capsulae longe sit alia. Iuncus itaque grama cum liliis et per calatum etiam cum palmis connectit.

Omnes hucusque cogniti Iunci amant loca irrigua spongiosa, saltem paulo humectata. Proveniunt huius species in frigidis et temperatis regionibus, nec firum ardorem respuere videntur. Pleraque tamen species sub frigido et temperato coelo giguntur, paucissimae sub calidis plagis.

Species Iunci nostro aevo solertia et sagacitate Botanicorum plures sunt detectae. LINNAEUS in systematis editione a REICHARDIO evulgata 19 habet Iuncos. In supplemento plantarum LINNAEI filii 4 novi enumerantur, quorum unus ab EHREHARTO in Germania, et tres ab Illuſtri Equite THUNBERGIO in Promontorio bonae spei sunt reperti. Celeberrimus MURRAYUS in decima quarta systematis editione omnes species LINNAEI, excluso Iuncu Tenageia indicavit, hinc 22 numeravit species. Clarissimus GMELINUS in sua systematis naturae editione 35 Iuncos descripsit, ex his Iuncus subulatus et spinosus sunt dubii, Iuncus uliginosus est eadem ac Iuncus subverticillatus, denique Iunc-

cus alpinus est varietas eius Iunci aquatichi; ergo 31 species tantum enumeravit. Clarissimus **LAMARCKIUS** in opere magno gallico, cui titulus: *Encyclopédie methodique ou par ordre de matières Botanique*, 32 species evulgavit, inter quas 4 sunt novae. Celeberr. **WILLDENOWIUS** in editione sua specierum plantarum 40 Iuncos distinxit, inter quos tres novi, ab ipso auctore primum descripti. Posthac Clariss. **DESFONTAINES** tres adhuc in Barbaria repertos, in opere magnifico *Flora atlantica* dicto, descriptionibus ac iconibus illustravit. Ut taceam species industria Clariss. **Virorum ALLIONI, VILLARSII, ROTHII, HOFFMANNI, WEIGELII** et aliorum detectas.

Omnis Iunci a **LINNAEO** secundum culmum sunt divisi, nempe qui culmo nudo vel folioso gaudent, sed hoc mihi haud arridet. Inflorescentia constans Iuncorum nota prae aliis videtur apta, ut ex hac subdivisiones formentur. Omnes hucusque **notas species**, unacum 12 novis a **WILLDENOWIO** non indicatis, heic describam.

---

# IUNCORUM SPECIES COGNITAE.

+ *panicula laterali.*

## 1. *Iuncus conglomeratus.*

- I. culmo nudo stricto, panicula laterali conglobata capsulis retusis, floribus triandris *Smith brit.* I. p. 376.  
I. culmo nudo stricto, panicula laterali coarctata - capitata *Sp. pl. ed. W.* 2. p. 205.  
I. culmo nudo stricto, capitulo laterali *Roy. lugdt.* 44. *Fl. suec.* 278, 298. *Mill. dict.* n. 4. *Pollich. pal.* n. 344. *Leers herb.* n. 361. t. 13. f. 1. *Fl. dan.* t. 1094. *Hoffm. germ.* 124. *Roth. germ.* I. 153. II. 398.  
I. culmo nudo, foliis teretibus mollibus, panicula conglobata *Hall. helv.* n. 1312.  
I. laevis panicula non sparsa *Bauh. pin.* 12. *theatr.* 183.  
I. laevis panicula conglobata *Scheuch. gram.* 343.  
*Iuncus Camer.* *epit.* 780.

*Habitat in uliginosis Europae.* 24.

Ab omnibus hucusque cognitis speciebus abunde panicula coaretata globosa, et staminibus tantum tribus diversus.

*Capulæ triquetrae retusæ corolla persistenti parum longiores, tritoculares polyspermae.*

## 2. *Iuncus rigidus.*

- I. culmo nudo apice inflexo pungente, panicula laterali elongata pedunculis compressis nodosis, petalis mucronatis.  
I. culmo nudo superne incurvo pungente, panicula laterali elongata, pedunculis compressis nodosis, calyce mucronato *Desf. atl.* I. p. 312.

*Habitat in arenosis maritimis Barbariae.* 24.

Hanc speciem non vidi, descriptionem Celeber  
DES FONTAINES ex opere citato his adiungam.

„*Culmus* nudus firmus durus bipedalis et ultra,  
„superne incurvus mucronatus pungens. *Panicula* la-  
„teralis culmo brevior coarctata, leviter inflexa, qua-  
„dripollucis vel semipedalis. *Pedunculi* inaequales,  
„interiores breviores aut nulli, compressi rigidi supra-  
„decompositi nodosi, nodulis rufescentibus aut fulcis  
„nitidis. *Vaginae* plures ex singulo nodo prodeentes  
„lanceolatae acutae adpressae, duabus exterioribus ma-  
„ioribus. *Pedicelli* apice uni- aut biflori. *Petala* lan-  
„ceolata mucronata. Nec capsulam nec folia obser-  
„vavi.“

Iunco acuto videtur affinis, ob culmum apice pun-  
gentem et vaginas ad pedunculorum basin.

### 3. *Iuncus inflexus.*

- I. culmo nudo, apice membranaceo incurvo, panicula  
lateralī *Sp. pl. ed. W. 2. p. 206.*
- I. culmo nudo, paniculam arcuatim tegente *Sauv. monsp. 9.*
- I. acumine reflexo maior *Bauh. pin. 12. prod. 134. Mor-  
rif. hist. 3. p. 233. f. 8. t. 10. f. 25. Barr. ic. 204.*
- I. foliaceus *Bauh. hist. 2. p. 221.*
- Iuncus tertius *Dod. cer. 265.*

*Habitat in Europa australiori. 24.*

Planta mihi ignota, cuius iconem in *Morrissoni*,  
*Bauhinorum*, et *Barretiari* opere tantum vidi.  
Differt a Iunco effuso et glauco apice culmi plano et  
folii instar dilatato. Synonyma varietatum in speciebus  
plantarum hue non pertinent. Iuncus inflexus ab Au-  
ctoribus plerisque praeter Linnaeum, indicatus, est Iun-  
cus glaucus.

9

4. *Iuncus glaucus.*

**I.** culmo nudo glauco apice inflexo tereti, panicula laterali, erecta, capsulis oblongis acutis.

**I.** culmo nudo glauco apice inflexo, panicula laterali effusa, ramis elongatis, floribus acuminatis *Sp. pl. ed. W. 2. p. 206.*

**I.** culmo nudo stricto glauco, panicula laterali erecta, capsulis ellipticis acutis *Smith. brit. 2. p. 375.*

**I.** culmo striato glauco, basi stipulis fuscis, panicula laterali sparsa *Sibthor. oxon. p. 113. Fl. dan. t. 1159.*

*Iuncus effusus* *B. Huds. angl. 149.*

*Iuncus inflexus* *Leers herborn. n. 263. t. 13. f. 3. Relhan cantab. 141. Wither. brit. 345. Hoffmann. germ. 124. Roth. germ. I. 154. II. 400.*

*Iuncus acutus* *Raj. synop. 432. Ger. emac. 35.*

*Iuncus acutus vulgaris* *Moris. hist. 3. p. 232. f. 8. t. 10. f. 13. Lob. ic. 85.*

*Habitat in pascuis locisque uidis Germaniae, Daniae, Angliae, Galliae. 24.*

*Culmus* *pedalis vel bipedalis teres erectus caespitosus, glaucus laevissime striatus, apice subulato inflexo quandoque tamen stricto.*

*Folia* *solummodo radicalia stricta, figura ac facie culmi.*

*Squamae* *fuscae oblongae nitidae acutae ad radicem et basin culni vaginantes.*

*Panicula* *lateralis supradecomposita longe ultra medium culmi erumpens, erecta.*

*Bracteae* *nonnullae ad paniculae et ramificationum basin membranaceae oblongae apice subulatae.*

*Calyx* *bivalvis membranaceus, corollam basi involvens, glumis oblongis acutis.*

*Stamina et Pistillum ut in reliquis.*

*Capsula* oblonga triquetra obtusa trilocularis trivalvis polysperma, petalis brevior.

Hanc speciem Clariss. *Linnæus* in Lapponia detexit, sed postea cum Iunco effuso perperam coniunxit. Celeber *Smith* in novissima Flora lapponicae editione p. 90. pro Iunco Iacquini habet, quo cum praeter floris colore nullo modo convenit. A Iunco effuso umbella simplici coarctata erecta et florum colore diversus.

7. *Iuncus filiformis.*

- I. culmo nudo filiformi nutante, umbella laterali subsimplici pauciflora, i pedunculis subbifloris, capsulis obtusis.
- I. culmo nudo filiformi nutante, panicula laterali bracteata subsimplici, capsulis subrotundis *Smith. brit.* 2. p. 377.
- I. culmo filiformi nudo, panicula brevissima pauciflora laterali *Lamark encycl.* 3. p. 254.
- I. culmo nudo filiformi nutante, panicula laterali *Sp. pl. ed. W.* 2. p. 207. *Roy. lugdb.* 44. *Flor. suec.* 300. *Gmel. fib.* 1. pag. 71. *Gort. ingr.* 51. *Mill. dict.* n. 2. *Smith. spicil.* 2. t. 3. *Leers. herb.* n. 264. t. 13. f. 4. *Hoff. germ.* 124. *Ro h. germ* I. 159. II. 401.
- I. culmo nudo, foliis teretibus mollibus, panicula laterali pauciflora *Hall. helv.* n. 1313.
- I. parvus, calamo supra paniculam longius producto *Raj. angl.* 3. p. 432. *Fl. lapp.* 118. *Pluk. anal.* 200. t. 40. fig. 8.
- I. laevis, panicula sparsa, minor. *Bauh. pin.* 12. *theatr.* 183. *Scheuch. gram.* 347. t. 7. f. 11.

*Habitat in turfosis Europae borealis, inque alpibus Europae australioris. 24.*

*Umbella e tribus vel octo pedunculis composita.*

*Pedunculi uniflori, nonnulli tamen biflori, flore laterali sessili.*

*Petala lanceolata acuta subaequalia.*

*Capula subrotunda tricarinata trilocularis trivalvis polysperma.*

3. *Iuncus setaceus.* Tab. Noſt. I. f. 2.

I. culmo nudo filiformi nutante, umbella laterali composita pauciflora, pedunculis multifloris, petalis subulatis.

I. culmo nudo nutante, panicula laterali Gron. virg. 152.

*Habitat in Pennsylvania. 24.*

*Culinus erectus pedalis teres erectus, apice subulato erecto vel nutante.*

*Umbella lateralis supra medium culmi e pedunculis tribus vel quatuor erectis composita, quorum unus unicum florem profert, reliqui vero bi- vel trifidi sunt, floribus tribus, quatuor, quinque, sex vel octo instructi.*

*Calyx trivalvis membranaceus, valvulis oblongis acutis fuscescentibus imbricatis.*

*Petala sex lanceolata brunnea apice subulata, subaequalia.*

*Stamina et Pistillum ut in reliquis, sed petalis duplo breviora.*

*Capulam non vidi, tamen coniicio flore esse breviorem.*

Affinis valde praecedenti, sed pedunculis ramosis, calyce trivalvi, petalisque subulatis brunneis abunde distinctus. *Iuncus capillaris* huic admodum similis videntur.

9. *Iuncus capillaceus.*

- I. culmo nudo capillaceo, panicula laterali brevissima, capsulis calyce maioribus. *Lamarck. encycl. 3. p. 255.*  
*Sp. pl. ed. W. 2. p. 207.*

*Habitat in Monte - Video in Brasilia. 4.*

Species mihi ignota, cuius descriptionem ex opere citato *Lamarckii* hic addam:

„*Culmus* capillaris et tenuis ut in *Scirpo aciculari*, „sed multo longior, cespitosus nudus debilis, sex ad „decem uncias longus. *Panicula* lateralis. 2. f. 3. pol- „lices sub apice culmi est sita, dichotoma sessilis, 5. „f. 6. lineas longa. *Flores* 7—10 in binis ramificatio- „nibus paniculae sessiles. *Capsulae* ovatae valde obtu- „sae calyce parum longiores.“

++ *panicula vel corymbo terminali,*  
*pedicellis unifloris.*

10. *Iuncus acutus.*

- I. culmo nudo, panicula terminali, involucre diphyllo spinoso, capsula subrotunda acuta petalis duplo longiore.
- I. culmo nudo tereti, panicula terminali, involucre diphyllo spinoso, capsulis subrotundis mucronatis. *Smith. brit. 2. p. 374.*
- I. culmo nudo apice bivalvi, panicula terminali subumbellata capsula calyce duplo longiore *Lamarck. encycl. 3. p. 253.*
- I. culmo nudo tereti mucronato panicula terminali involucre diphyllo spinoso *Sp. pl. 463. Scop. carn. 430. Huds. angl. 148. With. brit. 346.*

- I. culmo pungente, panicula ex folii solitarii axilla  
*Sauv. monsp. 9.*
- I. panicula universali culmo breviore infima coarctata  
 secundariis paniculatis laxis, capsulis triquetro - sub-  
 ovatis nitentibus *Guett. stamp. 2. p. 412.*
- I. acutis capitulis Sorghi *Bauh. pin. 11. prod. 21. f. 2.*  
*theatr. 173. Roj. synop. 431.*
- I. acutus maritimus, capitulis Sorghi *Scheuch. gram. 338.*
- I. pungens f. acutus capitulis Sorghi *Bauhin. hist. 2.*  
*p. 520. Moris. hist. 3. p. 232. f. 8. t. 10. f. 15.*
- I. maritimus Sorghi paniculata utriculata *Barr. ic. 203.*  
*fig. 2.*

*Habitat in maritimis arenosis Galliae, Angliae, His-  
 spaniae, Italiae, Natoliae. 2.*

*Culmus tripidalis erectus strictus teres cespitosus.*

*Folia facie culmi, at breviora et pungentia.*

*Panicula corymbosa multiflora coarctata terminalis  
 biuncialis.*

*Involucrum diphyllum; folium exterius basi dilata-  
 tum vaginatum apice convolutum acutum pungens pa-  
 nicula paulo longius; folium interius duplo brevius, basi  
 dilatatum vaginatum apice mucronatum pungens.*

*Bracteae membranaceae oblongae acuminatae ad  
 divisiones paniculae.*

*Calyx bivalvis membranaceus, valvulis oblongis  
 acutis corolla partum brevioribus.*

*Corolla hexapetala subaequalis, petalis oblongis ob-  
 tusiusculis margine membranaceis.*

*Stamina et Pistillum congenerum.*

*Capsula subrotunda levissime triquetra acuta peta-  
 lis duplo longior, trilocularis trivalvis polysperma.*

*Panicula terminalis e corymbis coarctatis elongatis strictis composita.*

*Involucrum diphylum panicula multo brevius, foliis lanceolatis convolutis inaequalibus exteriore longiore acute.*

*Calyx bivalvis membranaceus corolla duplo brevior, valvulis ovatis acutis.*

*Corolla hexapetala, petalis oblongis obtusiusculis, margine membranaceis.*

*Capula clavata triquetra obtusa, calyce brevior trilocularis trivalvis polysperma.*

13. *Iuncus multiflorus.*

**I.** culmo folioso, panicula terminali elongata - prolifera, capsulis ovatis acuminatis calycis longitudine.

**I.** culma inferne nodoso folioso, foliis teretibus, panicula terminali elongata erecta, pedunculis inaequalibus, multifariam decompositis fasciculatis *Desf. atl. 1. p. 313. t. 91.*

*Habitat in paludibus Barbariae 24.*

Species mihi tantum ex icone et descriptione Clariſſimi **D E S F O N T A I N E S** nota, cuius fusiorem descriptionem addam. Similis est **I. maritimo**, differt vero: culmo folioso, involucro minus pungente, floribus multo minoribus magnitudine Iunci effusi.

„*Culmus bi- vel tripedalis, crassitie pennae anserinae teres simplex firmus striatus, inferne intersectus nodo uno aut altero, folium emitente, cylindricum apice attenuatum pedale vel bipedale. Panicula saepe pedalis coarctata terminalis interrupta. Involucrum diphylum, foliis adpressis basi vaginantibus rigidis,*

„superne subulatis inaequalibus. *Pedunculi* angulosi stria-  
„ti numerosi multifariam decompositi, gradatim e com-  
„muni centro emergentes inaequales, centrales brevif-  
„simi. *Bracteae* plerumque binae inaequales siccae acu-  
„ta basin singuli pedunculi arcte involventes. *Flores* I.  
„effusi Linnaei, parvi. *Petala* acuta aequalia persisten-  
„tia. *Capitula* fusca ovata parvo nitida brevissime acu-  
„minata longitudine calycis.“

14. *Iuncus foliosus*.

I. culmo folioso ramoso, foliis linearis subulatis canna-  
liculatis basi ventricosis, panicula terminali corym-  
bosa, ramis bifloris, pedicellis unifloris.

I. culmo nodoso ramoso folioso, foliis canaliculatis, pa-  
nicula terminali erecta, laciniis calycinis aciformibus  
*Desf. atl. 1. p. 315. t. 92.*

*Habitat in Algeriae paludibus. 24.*

Affinis *Iuncus bufonio*, sed culmo altiore, duratio-  
ne, foliis basi ventricosis, panicula corymbosa, ramis-  
que paniculae tantum bifloris abunde distinctus. Clas-  
sif. DESFONTAINES, cuius descriptionem hic tra-  
do, etiam hunc detexit.

„*Culmus* bipedalis erectus striatus ramosus, raro  
„simplex, nodis intersectus. *Folia* glabra laevia subula-  
„ta canaliculata mollia, basi vaginantia, culmum invol-  
„ventia. *Panicula* terminales erecta decomposita. *Pe-  
„dunculi* inaequales filiformes, saepe dichotomi, vagi-  
„nalis lanceolatis acutis basi stipati, interiores brevio-  
„res. *Flores* *Iunci bufonii*, centrales sessiles aut bre-  
„vius pedicellati, terminales solitarii aut bini. *Involut-  
„crum* universale diphylum, foliis subulatis innocuis  
„iaequalibus; altero paniculam adaequante, aut lon-

„giore; altero breviore. *Calyx* bivalvis, valvulis mem-  
„branaceae corollae adpressis. *Corolla* hexapetala, pe-  
„talis aciformis. *Capsulam* non vidi.“

15. *Tuncus bufonius.*

- I. culmo folioso subramoso, foliis linearibus canalicu-  
latis panicula dichotoma, ramis multifloris, petalis  
acuminatis, capsula obtusa longioribus.
- I. culmo dichotomo, foliis angulosis, floribus solitariis  
sessilibus *Sp. pl. ed. W. 2. p. 214. Fl. suec. 305. Roy.*  
*lugdb. 43. Gort. ingr. 52. Pollich pal. n. 349. Gmel.*  
*fib. 1. p. 67. n. 30. Leers. herb. 267. t. 13. f. 8. Scopol.*  
*carn. n. 433. Hoffm. germ. 125. Roth. germ. I. 156.*  
*II. 408. Huds. angl. 150. With. brit. 348. Reth. can-*  
*tab. 144.*
- I. foliis linearibus canaliculatis, culmo dichotomo ra-  
moso, floribus solitariis *Smith. brit. 2. p. 381.*
- I. caule brachiatu, foliis setaceis, floribus solitariis ad ra-  
mum sessilibus *Hall. helv. n. 1319.*
- I. palustris humilior, panicula laxissima *Rupp. ien. 130.*  
*Fl. lapp. 122.*
- I. culmo dichotomo, floribus solitariis sessilibus, petalis  
mucronatis, margine scariosis pericarpio longioribus  
*Weig. obs 29.*
- Gramen nemorosum, calyculis paleaceis, species altera  
*Scheuch. gram 328.*
- Gramen nemorosum, calyculis paleaceis *Bauh. pin. 7.*  
*theatr. 100. Scheuch. gram 327.*
- Gramen bufonium erectum angustifolium maius *Barr.*  
*ic. 264.*
- Gramen bufonium erectum latifolium *Barr. ic. 263. f. 1.*

Gramen bufonium erectum angustifolium minus Barr.  
ic. 263. f. 2.

Gramen iunceum vulgate capitulis paleaceis Moris.  
hist 3. f. 8. t. 9. f. 14.

Gramen iunceum bufonium Tabern. 225.

Holosteum Matthioli Lob. ic. 18.

β. Gramen nemerosum calyculis paleaceis repens  
Scheuch. gram. 329. Bauh. pin. 99.

Gramen bufonium mollius seu umbellatum Barr. ic. 93.

γ. Gramen holosteum alpinum minimum Bauh. pin. 7.  
prod. 64. theatr. 101. Bauh. hist. 2. p. 510.

Gramen iuncoides minimum anglo - britannicum Raj.  
angl. 3. p. 434.

*Habitat in humidiusculis Europae, Sibiriae, et Amer-  
cae borealis.* ◎

*Culmus* erectus *uncialis* vel *semipedalis*, plerumque  
erectus, in varietate β *procumbens*, ramo uno altero-  
ve *instructus*.

*Folia* liniaria *canaliculata*.

*Panicula* terminalis dichotoma, ramis *multifloris*,  
floribus *unilateralibus*; *Pedicellis* *brevissimis* *unifloris*.

*Calyx* bivalvis membranaceus corolla multo bre-  
vior, valvulis lanceolatis acutis.

*Corolla* hexapetala, petalis tribus exterioribus ari-  
stato - acuminatis margine membranaceis; tribus inte-  
rioribus brevioribus acutis apice membranaceis.

*Capsula* oblonga obtuse triquetra petalis persten-  
tibus brevior.

Hunc Iuncum in prima sua aetate, cum germina-  
re incepit, pro Isoete nonnulli Botanici habuerunt,  
sed iam LINNAEUS hunc germinandi modum non  
ignorabit. Postea eum denuo Clariss. WILLENO-

WIRUS 1786 observavit et in Prodromo florae Berolinensis n. 395 descripsit.

16. *Iuncus Tenageja.*

I. culmo folioso subramoso, foliis linearibus canaliculatis, paniculae ramis bifidis multifloris, petalis acutis longitudine capsulae subrotundae obtusae.

I. culmo ramoso paniculato, floribus solitariis sessilibus, petalis ovato-oblongis, capsulis subglobosis Sp. pl. ed. W. 2. p. 213. Lin. suppl. 268. Pl. dan. t. 1160. Roth. germ. I. 156. II. 409. Hoffm. germ. 125. Heyne Abbild. deut. Gewächse. 151. t. 97.

I. foliaceus humilior paleaceis calyculis Dill. giss. 111.

I. annuus, floribus per ramulos sparsis Vaill. paris. t. 20. f. 1.

Gramen iuncinum milii panicula Barr. ic. 747. f. 2.

Habitat in paludibus turfosis Germaniae, Galliae, Daniae.

Culmis semipedalis et ultra erectus foliosus, ramo uno altero.

Folia linearia canaliculata.

Panicula terminalis erecta, ramis alternis bi- vel trifidis, ramulis multifloris, floribus unilateralibus brevissime pedicellatis.

Calyx bivalvis membranaceus petalis multo brevior, valvulis oblongis obtusis.

Corolla hexapetala, petalis lanceolatis acutis margine membranaceis.

Capitula subrotunda obtuse triquetra, apice obtusa trilocularis trivalvis polysperma.

Simillimus praecedenti, differt vero: habitu tenebriori, paniculae ramis alternis bifidis vel trifidis, nec

ab initio dichotoma, petalis acutis longitudine capsulae subrotundae, nec acuminatis capsula oblonga longioribus, denique floribus atque capsulis minoribus.

17. *Iuncus bulbosus.*

- I. culmo folioso simplici compressi sculo, foliis canaliculatis, corymbo terminali foliis floralibus breviore, capsula subrotunda obtusa petalis longiore.
- I. culmo compresso indiviso, foliis linearibus canaliculatis, corymbo terminali, calycinis foliolis obtusis capsula subrotunda obtusa brevioribus *sp. pl. ed. W. 2. p. 213.*
- I. foliis linearibus canaliculatis, culmo basi folioso, panicula cymosa, capsulis obtusis *Smith. brit. 2. p. 381.*
- I. foliis linearibus canaliculatis, capsulis obtusis *Fl. suec. 304. Huds. angl. 150. Relhan. cantab. 144. Meese. fris. 160. Fl. dan. 431. Pollich. pal. n. 348. Leers. herb. n. 265. t. 13. f. 7. Hoffm. germ. 125. Roth. germ. I. 155. II. 406.*
- I. (*compressus*) foliis linearibus canaliculato - concavis, capsulis ovatis, culmo compresso *Iacq. vindb. 235.*
- I. foliis carinatis, panicula sparsa, fructu globofo *Haller. n. 1318.*
- I. culmo indiviso, floribus corymbosis, foliis linearibus canaliculatis *Weig. obs. bot. 29.*
- I. foliis linearibus canaliculato - concavis, capsulis triangularibus *Guett. stamp. 134.*
- I. foliis angulatis, culmo subnudo, panicula terminali prolifera, capsulis ovatis *Roy. lugdb. 45.*
- I. parvus cum pericarpis rotundis *Bauh. hist. 2. p. 522.*
- I. repens apocarpos minor *Barr. ic. 114. f. 1.*
- Gramen iunceum *Sorghii capitulis Barr. ic. 747. f. 1.*

*Gramen iunceum pericarpiis rotundis vel vulgare Moris. hist. 3. p. 227. f. 8. t. 9. f. 11.*

*Habitat in Europae et Americae borealis pascuis sterilibus ad vias. 24.*

*Radix repens non bulbosa.*

*Culmus semipedalis erectus simplex compressiusculus.*

*Folia ad basin culmi linearia canaliculata.*

*Corymbus compositus terminalis.*

*Involucrum vel Folia floralia bina canaliculata corymbo longiora.*

*Calyx bivalvis membranaceus brevissimus, foliis ovatis obtusis.*

*Petala sex lanceolata obtusa, interiora margine membranacea.*

*Capsula subrotunda obtuse triquetra obtusa trilocularis trivalvis polysperma, petalis parum longior.*

18. *Iuncus tenuis.* Tab. Nostr. I. fig. 3.

I. culmo folioso simplici teretiusculo, foliis canaliculatis, corymbo terminali dichotomio foliis floralibus breviore, capsula oblonga obtusa petalis breviore.

I. culmo teretiusculo indiviso, foliis linearibus canaliculatis, corymbo terminali, calycinis foliolis acuminate capsula triquetra obtusa longioribus Sp. pl. ed. W. 2. p. 214.

I. foliosus minimus campestris et nemorensis Gron. virg. 152.

*Gramen iunceum virginianum calyculis paleaceis bicorne Moris. hist. 3. p. 228. f. 8. t. 9. f. 15.*

*Gramen iunceum elatius pericarpiis ovatis americanum Pluk. alm. 179. t. 92. f. 9.*

*Habitat in America boreali. 24.*

*Culmus* semipedalis vel pedalis erectus simplex teretusculus basi foliosus.

*Folia* linearia canaliculata.

*Corymbus* terminalis dichotomus, ramis multifloris.

*Folia* floralia bina sub corymbo, linearia canaliculata, quorum alterum corymbo quadruplo longius, alterum longitudine corymbi vel paulo longius.

*Calyx* bivalvis membranaceus, valvulis lanceolatis acutis.

*Corolla* hexapetala, petalis lanceolatis acuminatis margine membranaceis, interioribus parum brevioribus.

*Capsula* oblonga triquetra obtusa basi styli persistentis coronata, trilocularis trivalvis polysperma, petalis brevior.

Similis praecedenti, sed corymbo dichotomo paucifloro, petalis acuminatis capsula longioribus diversus. Flores fere ut in Iunco bufonio. Synonyma Iunci nodosi a LINNAEO adducta huc pertinent.

### 19. *Iuncus pilosus.*

- I. foliis planis pilosis, corymbo subsimplici, pedunculis unifloris nutantibus, petalis capsula brevioribus ova-tis acutis *Sp. pl. ed. W. 2. p. 216.*
- I. foliis planis pilosis, panicula cymosa divaricata, flo-ribus solitariis *Smith. brit. 2. p. 284.*
- I. foliis planis pilosis, corymbo ramoso *Fl. suec. 308.* *Pollich. pal. n. 351.* *Leers. herborn. n. 263. t. 13. f. 10.* *Roth. germ. I. 156. II. 410.* *Huds. angl. 151.* *Lightf. scot. 1. p. 186.* *Relhan, cant. 145.*
- I. (*vernalis*) foliis planis pilosis, pedunculis simplicibus, inferioribus reflexis *Hoffm. germ. 126.*

posito divaricato, pedunculis subunifloris, calycibus ciliatis, petalis acuminatis.

I. (glabratus) foliis planis vaginisque glabris, corymbo supradecomposito, pedunculis elongatis subunifloris, calycibus acuminatis *Hoppe herb. viv. cent. 3.*

*Habitat in alpibus Salisburgenibus. 4.*

*Culmus semipedalis et ultra erectus glaberrimus.*

*Folia radicalia fere semipedalia lato lanceolata glaberrima multi-nervia erecta.*

*Folia culmea lanceolata acuminata basi vaginantia glaberrima.*

*Corymbus terminalis decompositus divaricatus, pedunculis plerumque unifloris, interdum tamen bifloris.*

*Bracteae membranaceae lanceolatae vaginatae ad ramorum corymbi et pedunculi basin, vaginatae acutae margine ciliatae.*

*Calyx bivalvis membranaceus petalis duplo brevior, valvulis lanceolatis acutis subdentatis margine ciliatis.*

*Petala sex lanceolata acuminata fusca.*

*Capsulam non vidi.*

*Simillimus habitu Iuncu maximo, sed foliis glabris, pedunculisque plerumque unifloris diversissimus. A praecedente diversus: corymbo divaricato, floribus duplo maioribus, pedunculis subbifloris, bracteis calycibus ciliatis.*

++ *corymbo terminali e capitulis bivel multifloris composito.*

22. *Iuncus maximus.*

I. foliis planis pilosis, corymbo decomposito divaricato,

capitulis subtrifloris, petalis aristatis longitudine capsulae.

I. foliis planis pilosis, corymbo decomposito, pedunculis elongatis divaricatis subtrifloris, calycinis foliolis aristatis longitudine capsulae *Sp. pl. ed. W. 2. p. 217.*

I. (*maximus*) foliis planis pilosis, paniculae ramosae floribus subternis subsessilibus *Retz. prod. Fl. Scand. ed 2. n. 434. Fl. dan. t. 441.*

I. (*maximus*) foliis planis pilosis, panicula terminali ramosissima, floribus fasciculatis *Roth. germ. I. 157. II. 411. Hoff. germ. 216.*

I. (*maximus*) foliis planis pilosis, panicula triplicata diffusa, floribus binis s. ternis subsessilibus, perigonii valvulis subaequalibus aristatis, capsula trisperma perigonio paulo longiore *Ehrh. Beitr. 6. p. 139.*

I. (*latifolius*) foliis planis lanceolatis pilosis, culmeis sensim minoribus, paniculis supradecompositis cymoso-corymbosis folio longioribus, pedunculis umbellato-subtrifloris, foliolis calycum aequalibus *Wulffen in. Iacq. Collect. 3. p. 59.*

I. (*sylvaticus*) foliis planis pilosis acuminatis, panicula cymosa decomposita, floribus fasciculatis *Smith. brit. 2. p. 385. Huds. angl. 151. Lighth. scot. 1. p. 186.*

Iuncus pilosus *Vaill. delph. 2. p. 234.*

I. foliis planis hirsutis, floribus paniculatis fasciculatis *Hall. helv. n. 1324.*

Iuncus pilosus ♂. *Sp. pl. 468.*

Gramen nemorosum hirsutum latifolium maius *Scheuch. gram. 317.*

Gramen hirsutum latifolium maximum iuncea panicula *Moris. hist. 3. p. 225. j. 8. t. 9. f. 2.*

merata nitente, floribus obtusiusculis Lamark. encycl.

3. p. 260.

*Juncus luteus* Allion. pedem. n. 2085. Vill. delph. 2.  
p. 235. t. 6.

*Juncus campestris.* ε Sp. pl. 469.

I. foliis planis glabris, spicis oblongis pluribus Ger.  
prov. 140. n. 11.

I. foliis planis laevibus, panicula nuda umbellata flava  
Hall. enum. 257.

I. planifoliis glaber, panicula nitente, floribus obtusis  
Hall. helv. 1329.

*Juncoides latifolium alpinum* glabrum, panicula lutea  
splendente Scheuch. gram. 314. Mich. gen. 42.

*Habitat in alpibus summis Helvetiae, Sabaudiae,  
Galliae 2.*

*Culmus* erectus semipedalis glaber.

*Folia radicalia* bi- vel triuncialia lato-lanceolata ri-  
gida glabra.

*Folia culnea* uncialia vel biuncialia lanceolata rigi-  
da glabra.

*Corymbus* compositus coarctatus subnutans.

*Bracteae* oblongo-lanceolatae vaginatae membra-  
naceae glabrae.

*Capitula* tri- quadri- vel quinqueflora.

*Calyx* membranaceus nitidus luteus bivalvis peta-  
lis duplo brevior, valvulis ovatis acutiusculis.

*Petala* sex oblonga acutiuscula membranacea lutea  
splendida.

*Capsulam* non vidi.

### 25 *Juncus albidus..*

I. foliis planis pilosis, corymbo decomposito patulo,

foliis breviore, capitulis subquadrifloris, petalis mucronatis subaequalibus, radice fibrosa.

I. foliis planis pilosis, corymbo decomposito, pedunculis subquadrifloris, calycinis foliolis submucronatis, interioribus paulo longioribus, radice fibrosa *Sp. pl. ed. W. 2. p. 219.*

I. (*albidus*) foliis pilosis acuminatis planis, corymbis folio brevioribus, pedunculis subtrifloris *Haffn. germ. 126.*

I. (*angustifolius*) foliis planis pilosis, paniculis supradecompositis cymosis folio brevioribus, floribus umbellato-subtrifloris, foliolis calycum subaequalibus *Wulffen in Iacq. Collect. 3. p. 56.*

I. (*luzuloides*) foliis planis pilosis, floribus brevibus acutis paniculatis, calycibus subaequalibus *Lamarch. encycl. 3. p. 261.*

I. (*nemorosus*) foliis planis pilosis, floribus fasciculatis *Pollich. pal. n. 352.*

I. (*leucophobus*) foliis planis pilosis, panicula triplicata diffusa, floribus binis ternis s. quaternis subsessilibus, perigonii valvulis subaequalibus lanceolatis acutis non aristatis, capsula trisperma perigonio paulo breviore *Ehrh. Beitr. 6. p. 141.*

*Juncus niveus* *Leers. herb. n. 269. t. 13. f. 6. Moench. haff. n. 299. Roth. germ. I. 157. II. 413.*

*Juncus pilosus* *Sp. pl. 468.*

I. foliis gramineis, floribus umbellatis, petalis aequalibus *Hall. helv. n. 1327.*

*Gramen hirsutum angustifolium maius* *Bauh. pin. 7. prod. 16. theatr. 105. Moris. hist. 3. p. 225. f. 8. t. 9. f. 3. Scheuch. gram. 318.*

*Habitat in nemoribus montosis Germaniae, Helvetiae, Galliae, Italiae. 24.*

*Culmus bipedalis erectus glaber.*

*Folia radicalia semipedalia et ultra margine pilosa.*

*Folia culmea linearis-lanceolata triuncialia et semipedalia bina superiora corymbo longiora, margine pilosa.*

*Corymbus decompositus patens terminalis; quandoque in foliorum superiorum axillis occurunt corymbi parvi pedunculati.*

*Bracteae lanceolatae membranaceae subdentatae.*

*Capitula bi- tri- vel quadriflora.*

*Calyx membranaceus petalis quadruplo brevior bivalvis, valvulis oblongis acutis.*

*Petala sex albida lanceolata acuta; tria interiora parum longiora.*

*Capitula oblonga acuta nigra, petalis brevior unilocularis trivalvis trisperma.*

Vidi varietatem ex Italia foliis culmeis glabris.

## 26. *Iuncus niveus.*

I. foliis planis pilosis, corymbo composito coarctato foliis breviore, capitulis quinquefloris, petalis acutis, interioribus duplo longioribus, radice repente.

I. foliis planis pilosis, corymbo composito, pedunculis subquinquefloris, calycinis foliolis acutis, interioribus duplo longioribus, radice repente *Sp. pl. ed. W. 2. p. 220.*

I. foliis planis subpilosis, corymbis folio brevioribus, floribus fasciculatis *Sp. pl. 468.*

I. foliis gramineis, paniculis umbellatis, petalis interioribus duplo longioribus *Hall. helv. n. 1328.*

*Iuncoides montanum nemorosum flore niveo Scheuch.*  
*gram. 320. t. 7. f. 7.*

*Gramini Luzulae affine flore albo Bauh. hist. 2. p. 492.*

*Gramen hirsutum angustifolium minus, paniculis albis*  
*Bauh. pin. 7. theatr. 106. Moris. hist. 3. f. 8. t. 9. f. 39.*

*Habitat in alpibus Bohemicis, Rhaeticis, Mon-*  
*spelii. 24.*

*Culmus bipedalis et ultra erectus glaber.*

*Folia radicalia sesquipedalia linearis - lanceolata pla-*  
*na margine pilosa.*

*Folia culmea quadriuncialia et pedalia linearis - lan-*  
*ceolata margine pilosa, tria superiora corymbo longio-*  
*ra et minus pilosa.*

*Corymbus terminalis compositus coarctatus.*

*Bracteae parvae membranaceae lanceolatae.*

*Capitula quinqueflora.*

*Calyx membranaceus petalis exterioribus quadru-*  
*plo brevior bivalvis, valvulis oblongis acutis.*

*Petala sex lanceolata alba acutiuscula, tria interior*  
*fere duplo longiora.*

*Capsula mihi ignota.*

### 27. *Iuncus brevifolius.*

I. foliis linearibus canaliculatis pilosis, corymbo com-  
 posito glomerato, folio subaequali, capitulis subdecem-  
 floribus, petalis obtusis, interioribus duplo longioribus.

*Iuncus brevifolius Hoffmannsegg. et Link fl. lusit.*

*Habitat in montibus Lusitaniae Serra de Gerez*  
*dictis. 24.*

*Culmus pedalis erectus glaber.*

*Folia culmea* inferiora quinquepollicaria superiora uncialia, sumnum vix corymbo longius, linearia canaliculata margine pilosa.

*Corymbus* terminalis coarctato - glomeratus.

*Capitula* multiflora ultra decemflora.

*Calyx* brevissimus membranaceus.

*Petala* sex alba splendentia osta siuscula, tria interiora duplo longiora.

*Capsula* ignota.

Valde affinis praecedenti cuius forte varietas, sed differt: foliis canaliculatis, culmeis brevissimis, corymbo glomerato et capitulis multifloris.

#### 28. *Iuncus ferratus.*

I. foliis ensiformibus planis serratis subtus incanis, paniculae vaginis subulatis perfoliatis *Lin. suppl. 208.*

I. foliis ensiformibus serratis, panicula vaginis perfoliatis *Thunb. prod. 66.*

*Habitat* ad Promontorium bonaë Spei. 24.

Vidi tantum fragmentum huius speciei valde mancum; hinc descriptionem a LINNAEO filio datum hic apponam.

„*Culmi* foliosi teretes crassitie digitii minoris, longitudine quadri- f. sexpedales. *Folia* alterna graminea duriora laevia subnervosa ferrata, longitudine vix culmi. *Panicula* conglomerata minusque patula, floribus sparse conglomeratis. *Affinitas* *Iunci* pilosi, sed *Iunco* acuto longe maior.“

#### 29. *Iuncus capensis.*

I. culmo aphyllō comppresso, capitulis sessilibus pedunculatisque *Thunb. prod. 66.*

I. (cymosus) culmo nudo, foliis planis, panicula terminali cymosa, involucro bivalvi *Lamarek. encycl. 3.* p. 256?

*Habitat ad Promontorium bonae spei. 24.*

Clariss. THUNBERGIUS loco indicato nullam descriptionem nobis dedit, et character specificus per quam brevis haud cum certitudine aliqua indicare permittit, num planta Celeberr. LAMARCKII huc pertineat necne? Interim descriptionem a LAMARCKIO factam usque certiora innotescerent communicabo.

„*Culmus* octo vel novem pollicaris nudus parum „angulosus. *Panicula* terminalis fere umbellata, foliis binis lanceolatis acutis inaequalibus, panicula longe brevioribus suffulta. *Capitula* florum bi- vel tri- „flora. Bractea binae oppositae membranaceae sub- „yaginatae mucronatae ad divisiones paniculae. *Folia* „radicalia graminea plana, parum striata glabra, longitudine culmi vel longiora.“

### 30. *Iuncus cephalotes.*

I. culmo aphylo tereti, foliis canaliculatis, capitulis subumbellatis *Thunb. prod. 66.*

*Habitat ad Promontorium bonae spei. 24.*

Species mihi ignota.

### 31. *Iuncus rubens.*

I. culmo nudo basi vaginis vestito, involucro spathaceo multifloro terminali *Lamarek. encycl. 3. p. 255.*

*Habitat in monte Video in Brasilia. 24.*

De hac specie mihi incognita Clariss. LAMARCKIUS sequentia dixit.

„*Culmus* sesquipedalis teres nudus basi squamis va-  
„ginantibus alternis numerosis tectus, apice foliolis bi-  
„nis uncialibus rubicundis spathaceis instructus. Inter  
„folia dicta est *fasciculus* capitulorum unilateralis. *Capi-*  
„*tula* bi- vel triflora et squamis totidem longitudine fe-  
„re florum munita. *Flores* non examinavi.“

32. *Iuncus marginatus*. Tab. Nost. II. fig. 3.

I. foliis planis glabris, corymbo terminali simplici pro-  
lifero, capitulis subdecemfloris, petalis longitudine  
capsulae obtusae.

*Habitat* in Pensylvania. 24.

*Culmus* erectus pedalis vel sesquipedalis glaber.

*Folia culmea* quatuor infra medium culmi, inferio-  
ra minora, uncialia et triuncialia linearia acuta glabra  
margine crassiore.

*Corymbus* terminalis simplex proliferus erectus.

*Bracteae* membranaceae oppositae vaginatae acutae.

*Capitula* octo - vel decemflora capitata.

*Calyx* bivalvis a petalis remotus membranaceus  
acutus.

*Petala* sex oblonga acutiuscula inaequalia.

*Capsula* obovata obtusa trilocularis polysperma.

33. *Iuncus* *nodosus*. Tab. Nost. II. fig. 2.

I. foliis nodoso - articulatis teretibus, corymbo simpli-  
ci, capitulis multifloris, capsulis acuminatis corolla  
longioribus.

I. foliis nodoso - articulatis, petalis mucronatis *Sp. pl. ed.*  
*W. 2. p. 210.* (excluso synonymis *Plukenetii* et *Mo-*  
*risonii*) *Walt. carol. 124.*

I. (*scirpoides*) foliis teretibus articulatis, capitulis globo-  
sis echinatis, panicula subsimplici *Lamarek. encycl. 3.*  
*p. 256.*

I. foliis articulosis, floribus umbellatis, capsulis trian-  
gulis *Gron. virg. 152.*

Gramen cyperoides minimum, spicis pluribus compactis  
*ex oblongo rotundis Pluck. mant. 97. t. 417. f. 3.?*

*Habitat in Carolina, Virginia, Pennsylvania 24.*

*Culmus* erectus *semipedalis.*

*Folia radicalia* tri- vel quadriuncialia teretia sub-  
ulata articulata.

*Folia culnea* bi- vel quinqueuncialia teretia apice  
subulata nodoso-articulata, superiora corymbo triplo  
longiora.

*Corymbus* simplex terminalis e capitulis tribus vel  
sex compositus.

*Capitula* globosa e floribus 10 — 15 composita.

*Calyx* bivalvis membranaceus a petalis remotus  
valvulis oblongis mucronatis.

*Petala* sex lanceolata acuminata viridi-flavescentia.

*Capsula* oblonga valde acuminata petalis longior  
trilocularis trivalvis polysperma.

### 34. *Iuncus punctorius.*

I. culmo nudo tereti, folia tereti articulato mucrona-  
to, panicula glomerata *Linn. suppl. 208.*

I. culmo aphylo tereti, folio subulato, panicula com-  
posita coarctata *Thunb. prodr. 66.*

*Habitat ad Promontorium bonae spei 24.*

Specimina huius non vidi, descriptio LINNAEI  
filii est sequens: „*Culmus* bipedalis et ultra teres lae-  
vis. *Folia* radicalia nulla (?), sed membranae duae,

„rudimenta foliorum. *Folium* caulinum unicum cul-  
 „mo simile sed paulo longius strictum mucronatum  
 „pungens intus articulatum. *Panicula* terminalis arcte  
 „conglomerata in aliquot glomeres e gluma exortos.  
 „Affinitas *Iunci* articulati sed omnia robustiora, ut  
 „reliqua taceam.“

35. *Iuncus sylvaticus*.

I. culmo erecto, foliis nodoso-articulatis teretibus, pa-  
 nicula supra decomposita, petalis aristatis interiori-  
 bus longioribus.

I. culmo erecto, foliis nodoso-articulatis teretibus, pa-  
 nicula supradecompositis, foliis calycinis aristatis, in-  
 terioribus longioribus *Sp. pl. ed. W. 2. p. 211.*

I. (*sylvaticus*) culmo folioso erecto, foliis teretibus  
 articulato-nodosis, panicula terminali supradecompo-  
 sita diffusa *Roth. germ. I. 155. II. 405.*

I. (*acutiflorus*) foliis nodoso-articulatis, floribus acutis  
*Hoffm. germ. 125. Ehrh. gram. 66.*

I. foliis articulatis teretibus, panicula repetito-ramoso  
*Hall. helv. n. 1323.*

*Iuncus articulatus* γ. *Sp. pl. 465.*

*Gramen iunceum*, folio articuloso, *sylvaticum* *Bauh. pin.*  
 5. *theatr. 75.*

*Gramen iunceum* articulatum palustre erectum et elas-  
 tius *Moris. hist. 3. p. 227. f. 8. t. 9. f. 1.*

β *Gramen iunceum* folio articuloso cum utriculis *Bauh.*  
*prod. 12. Scheuch. gram. 333.*

*Habitat in nemoribus humidis, locis turfosis Europae*  
*et Americae borealis.* 24.

Haec et sequens species iam a Botanicis Celeberrimi-  
 mis, nempe *LEERSIO*, *ROTARIO* aliisque sunt de-

scriptae, hinc nec de Iunco sylvatico nec de Iunco articulato amplius verba faciam.

36. *Iuncus articulatus.*

- I. culmo adscendente, foliis nodoso-articulatis subcompressis, panicula composita, petalis aequalibus obtusiusculis.
- I. culmo adscendente, foliis nodoso-articulatis compresso-teretiusculis, panicula composita, foliolis calycinis aequalibus obtusiusculis. Sp. pl. ed. W. 2. p. 211.
- I. foliis nodoso-articulatis, petalis obtusis Fl. suec. 285. 303. Gmel. sib. I. p. 69. Scop. carn. n. 431. Leers. herb. n. 265. t. 13. f. 6. Fl. dan. t. 1097.
- α Iuncus aquaticus.
- I. foliis articulatis compressis, panicula semel ramosa Hall. helv. n. 1322. Pollich pal. n. 347.
- I. (aquaticus) culmo folioso decumbente, foliis articulato-nodosis subcompressis linearibus, panicula terminali composita Roth. germ. I. 155. II. 403.
- I. (obtusiflorus) foliis nodoso-articulatis, floribus obtusis Hoffmann. germ. 125. Ehrh. gram. 76.
- I. foliis articulosis, panicula inaequali, capitulis sessilibus, capsulis subulatis triquetris Roy. lugdb. 43.
- I. foliis articulosis, floribus umbellatis Tournef. inst. 247. Fl. lapp. 120.
- Gramen iunceum, folio articulato aquaticum Bauh. pin. 5. prod. 12. theatr. 76. Scheuch. gram. 331.
- β Iuncus alpinus Vill. delph. 2. p. 233.
- I. foliis sessilibus articulatis, panicula simplici, glumis aristatis Hall. helv. n. 1321.
- I. alpinus folio articuloſo Scheuch. gram. 333.
- γ Iunci folioli, foliis per siccitatem nodosis Mich. gen. 38.

*Habitat in Europae locis aquosis. 2.*

Varietas β differt modo loco natali. Specimina huius varietatis ex alpibus Galliae, Italiae, Helvetiae vidi, quae a nostro Iunco articulato tantum panicula pauciflora simplici et petalis obtusioribus erant diversa. Capitula paniculae in Iunco sylvatico sunt quadri- quinque- vel sexflora, in Iunco articulato vero bi- tri- vel quadriflora.

*37. Iuncus subverticillatus.*

I. culmo procumbente, foliis setaceis subarticulatis, corymbo dichotomo divaricato, capitulis subquinquefloris sessilibus.

I. culmo decumbente, foliis setaceis, floribus glomeratis verticillatis, glomeratis foliosis *Sp. pl. ed. W. 2.*  
*p. 212.*

α culmo procumbente radicante.

I. (*uliginosus*) foliis setaceis subnodoso-articulatis, capitulis trifloris subproliferis, culmo bulboso radicante *Smith. brit. 2. p. 380.*

I. (*uliginosus*) culmo folioso repente, ad florum glomerulos prolifico, foliis setaceis subarticulato-nodosis *Roth. germ. I. 155. II. 405. Fl. dan. t. 817.*

I. (*subverticillatus*) culmo subdichotomo, foliis subulato-subsetaceis, floribus fasciculato-verticillatis *Wulfen in. Iacq. Collect. 3. p. 51.*

Iuncus viviparus *Relhan. cantab. 143.*

I. caule brachiato, foliis setaceis, floribus fasciculatis ad ramos sessilibus *Hall. helv. n. 1320.*

Iuncoides caliculis palleaceis glomeratis, folio varians *Scheuch. agrogr. 330. t. 7. f. 19.*

**Gramen iunceum minimum paniculis foliaceis Moris.**  
hist. 3. p. 127. f. 8. t. 9. f. 4.

**Gramen iunceum aquaticum**, capitulis cum foliis capillaceis simul ortis proliferum Pluk. alm. 179. t. 32. f. 3.  
culmo erecto humiliore.

**I. (supinus)** culmo dichotomo, foliis canaliculatis filiformibus, capitulo triphylo Moench. haff. n. 296. t. 5.  
Roth. germ. I. 156. II. 409. Hoffm. germ. 125. Fl. dan. t. 1099. (exclusis Synonymis.)

**Gramen iunceum**, capsulis triangulis, minimum Raj. sy. n. 434. Moris. hist. 3. p. 127. f. 8. t. 9. f. 3.

*Habitat in Europae et Americae borealis pratis uidis 24.*

*Culmi semipedales procumbentes saepe radicantes.*

*Folia radicalia* setacea vix manifeste articulata.

*Folia culmea* pauca parum latiora.

*Corymbus terminalis* dichotomus et divaricatus.

*Capitula tri- vel quinqueflora* sessilia.

*Bracteae* scariosae capitula cingentes.

*Calyx* bivalvis membranaceus a petalis remotus,  
valvulis oblongis.

*Petala* sex trinervia oblonga acuta, tria exteriora  
margine membranacea.

*Capsula* acute triquetra oblonga trilocularis poly-  
sperma.

Capitula saepius sunt vivipara. Variat locis arenosis humidiusculis culmo brevissimo erecto, capitulo solitario terminali.

### 38. *Iuncus palleiens.*

**I.** foliis subteretibus tenuibus articulatis, panicula stri-  
gosa, calycibus acutis submembranaceis Lamarck. en-  
cycl. 3. p. 267. exclusis synonymis.

## Habitat in Bonaria. 24.

Clarissimus **LAMARCKIUS** hunc cum Iunco tenui coniunxit, sed folia articulata disuadent coniunctionem, ut ex descriptione huius Botanici patet:

„*Culmus* octo- vel decempollaris interdum fere „pedalis, cespitosi. *Folia radicalia* tenuia compresso- „teretia acuta articulata, mollia glabra longitudine fe- „re culni. *Folia culmea* solitaria vel bina radicalibus „similia excepto folio sub panicula sessili, quod brevius „est. *Panicula* mediocris tenuis parum ramosa, inter- „dum fere subspicata pallida vel albida. *Capitula* bi- „tri- rarissime quadriflora, squamis binis membrana- „ceis glumaceis involuti petalorum longitudine. *Petala* „submembranacea apice mucronata.“

+++ *floribus racemoſo-spicatis.*

39. *Iuncus campestris.*

- I. foliis planis pilosis, spicis pedunculatis umbellatis, intermedia sessili, petalis mucronatis capsula longioribus.
- I. foliis planis pilosis, spicis pedunculatis umbellatis, intermedia sessili, calycinis foliolis mucronatis capsula longioribus *Sp. pl. ed. W. 2. p. 221.*
- I. foliis planis subpilosis, spicis sessilibus pedunculatis que *Fl. suec. 309. Pollich pal. 353. Gmel. fib. I. p. 64. Scop. carn. n. 434. Leers. herb. 270. t. 13. f. 5. Hoffm. germ. 126. Kniph. cent. 12. n. 66. Roth. germ. I. 157. II. 414.*
- I. foliis gramineis hirsutis, spicis petiolatis nutantibus petalis aristatis *Hall. helv. n. 1330.*

- I. foliis planis, panicula rara, spicis sessilibus pedunculatisque *Hort. cliff.* 137. *Roy. lugdb.* 42. *Gron. virg.* 38.  
 I. villosus capitulis psyllii *Tournef. inst.* 246. *Fl. lapp.* 126.  
*Iuncoides villosum capitalis psyllii Scheuch. gram.* 310.  
*Gramen hirsutum capitulis psyllii Bauh. pin. 7. theatr.* 103.  
*Gramen exile hirsutum cyperoides Lob. ic.* 15.  
 ♂ I. foliis planis, culmo paniculato, spicis ovatis *Fl. lapp.* 127. *t. 10. f. 2.*  
 ♀ *Iuncoides hirsutum capitulo glomerato Scheuch. gram.* 312.  
*Gramen hirsutum capitulo globoſo Bauh. pin. 7. theatr.* 104.  
 ♂ *Iuncoides montanum nemorosum villosum latifolium elatius, capitulis florum candidis et splendentibus Mich. gen.* 42.  
 ♂ *Gramen hirsutum elatius, panicula compacta Raj. angl.* 3. *p. 416.*

*Habitat in Europae, Asiae borealis et Americae septentrionalis pascuis fccis atque nemoribus.* 24.

*Culmus biuncialis usque pedalis.*

*Folia lanceolata acuta margine pilosa.*

*Spicae 4 — 6 quarum intermedia sessilis, reliquae pedunculatae.*

*Calyx membranaceus bivalvis corolla duplo brevior.*

*Petala sex oblonga, tria exteriora acuta, tria interiora mucronata.*

*Capula petalis persistentibus brevior unilocularis bivalvis trisperma.*

#### 40. *Iuncus sudeticus.*

- I. foliis planis glabris, vaginis pilosis, spicis pedunculatis, petalis mucronatis longitudine capsulae.  
 I. foliis planis glabris, vaginis pilosis, spicis peduncu-

*latis, intermedia sessili, calycinis foliolis mucronatis  
longitudine capsulae* Sp. pl. ed. W. 2. p. 221.

*Iuncus spicatus* Krock. filef. n. 559. t. 52.

*Iuncus campestris* n. Sp. pl. 469.

*Iuncoides bohemicum*, panicula minore nigricante, scapo  
supra eandem erecto et longius producto Mich. gen. 42.

*Habitat in Sudetis.* 24.

*Culmus* fere pedalis erectus.

*Folia* linearis - lanceolata glabra.

*Vaginae* foliorum plurimum penicillo pilorum in-  
fructae.

*Spicae* tres - vel quatuor pedunculatae interdum ut  
rarius intermedia subsessilis.

*Calyx* bivalvis membranaceus albus petalis duplo  
brevior.

*Petala* sex atro - fusca oblonga mucronata, margine  
membranacea.

*Capula* atra longitudine petalorum unilocularis  
trivalvis trisperma.

Valde affinis praecedenti, tamen foliis glabris, spi-  
cis omnibus pedunculatis atris, et petalis longitudine  
capsulae distinctus.

#### 41. *Iuncus spicatus.*

I. foliis planis subpilosis, spicae glomerato - racemosa  
basi divisa nutante, petalis longitudine capsulae.

I. foliis planis spica racemosa nutante Sp. pl. ed. W. 2.  
p. 222. Fl. lapp. 125. t. 10. f. 2. Fl. suec. 310. Fl. dan.  
t. 270. Huds. angl. 650. Lightf. scot. 1. p. 187. Allion.  
ped. n. 2087. Vill. delph. 2. p. 239.

I. foliis planis, spica racemosa nutante basi composita,  
capsulis acutis Smith. brit. 2. p. 386.

**I.** *alpinus latifolius*, *panicula racemosa nigricante pen-*  
*dula* *Till. pis. 91. Mich. gener. 42. n. 7.*

*Habitat in alpibus Lapponiae, Norvegiae, Scotiae,*  
*Galliae, Italiae, Helvetiae, Salisburgi, Carinthiae. 24.*

*Culmus magnitudine varians bipaniculatus usque pe-*  
*dalis erectus.*

*Folia linearis-lanceolata plana plerumque glabra in-*  
*terdum pilosa, vel ad vaginas tantum pilis instructa.*

*Spica* *solitaria terminalis glomerato-racemosa atra*  
*admodum figura varians, interdum elliptica indivisa, in-*  
*terdum interrupta, vel basi divisa, semper vero nutans.*

*Calyx membranaceus bivalvis, valvulis lanceolatis,*  
*exterior longitudine petalorum, interior duplo brevior.*

*Petala* *sex atro-fusca margine membranacea ari-*  
*stata subaequalia.*

*Capsula* *oblonga acuta atra unilocularis trivalvis*  
*trisperma longitudine petalorum.*

**42. *Iuncus pediformis.***

**I.** *foliis planis supra pilosis, spica racemosa flexuosa*  
*cernua basi divisa, petalis capsula longioribus.*

**I. (pediformis)** *foliis plano-carinatis pilosis, floribus*  
*oblongis in spica lobata nutantibus Vill. delph. 2.*  
*p. 238. t. 6.*

*Habitat in alpibus Delphinatus. 24.*

*Culmus* *erectus pedalis vel sesquipedalis.*

*Folia radicalia lanceolata glabra.*

*Folia culmea lanceolata supra pilosa infra glabra.*

*Spica* *flexuosa cernua brunnea flexuosa glomerato-*  
*racemosa basi divisa.*

*Calyx membranaceus bivalvis petalis brevior, val-*  
*vulis ovatis acutis.*

*Petala* sex brunnea inaequalia ovata acuminata, margine membranacea.

*Capsula* fusca ovata acuta unilocularis trivalvis trisperma, petalis brevior.

Valde affinis praecedenti, sed abunde distinctus, culmo robustiore longiore, foliis latioribus, spica brunnea numquam fusca, floribus duplo maioribus, petalis capsula longioribus.

+++++ *capitulis solitariis, geminis, ternisve.*

43. *Iuncus triceps.* Tab. Nost. I. fig. 4.

I. foliis canaliculatis glabris basi ventricosis, capitulis tribus multifloris involucratis terminalibus.

*Habitat in Sibiria.* 24.

*Culmus* erectus sesquipedalis.

*Folia radicalia* linearia convoluto-canaliculata culmo duplo breviora, basi ventricosa.

*Folia culmea* lanceolata canaliculato-convoluta basi ventricosa, superiora capitulis longiora.

*Capitula* tria terminalia pedunculata, quorum intermedium reliquis brevius pedunculatum. Contineat 15 ad 20 flores.

*Involucrum* bivalve membranaceum capitulum quodlibet basi cingens et capitulo triplo longius, valvulis lanceolatis acuminatis.

*Calyx* membranaceus bivalvis.

*Petala* sex castanea lanceolata acuminata.

*Capsula* mihi ignota.

Pulcherrima et ab omnibus satis diversa species.

44. *Iuncus castaneus.*

I. foliis planis amplexicaulibus, capitulo terminali sub-geminō multifloro basi foliato, bracteis acutis *Smith. brit. 2. p. 383.*

*Habitat in alpibus Scotiae solo micaceo udo. 24.*

Species nuperrime descripta a Clarissimo **S M I - T H I O**, cuius descriptionem hic addam:

„Radix laxe repens sarmentosa. Culni erecti spī-  
„thamaei subinde pedales teretis foliosi. Folia omnia  
„caulina alterna erecta plana linearia acuta, basi dilatata  
„amplexicaulia vaginantia, supremum capitulū sub-  
„iectum, reliquis brevius. Capitula terminalia erecta  
„bina, unum supra alterum, aliquando solitaria atro-  
„fusca nitida, saepius quadriflora, subinde sex- vel octo-  
„flora, rarius triflora. Calyces univalves a petalis pa-  
„rum remoti, linearī-lanceolati acuti fusci. Petala lan-  
„ceolata acuta, dorso trinervia. Stamina sex capilla-  
„ria alba longitudine petalorum. Antherae terminales  
„lineares ochroleucae. Stigmata linearia plana. Capsu-  
„la elliptico-oblonga obtusa, apice nigra mucronulata,  
„petalis duplo longior, trilocularis. Semina utrinque  
„appendiculata. Iuncus Iacquini huic facie quodam-  
„modo similis, gaudet radice oblonga simpliciter re-  
„pente, culnis congestis strictissimis monophyllis, basi  
„vaginatis nec foliosis, calycibus petalis arcte approxi-  
„matis geminis subrotundis obtusis, staminibus petalis  
„triplo brevioribus.“

45. *Iuncus Iacquini.*

I. culmo unifolio, foliis canaliculatis, capitulo terminali solitario multifloro.

D

I. folio subulato, capitulo subquadrisfloro terminali *Sp. pl. ed. W. 2, p. 215. Iacq. vinab. 237. t. 4. f. 2. aust. 3. t. 221.*

I. (*nigricans*) culmo simplici unifolio, floribus glomerato-fasciculatis atrofuscis terminalibus *Lamarck. encycl. 3. p. 260.*

I. caule unifolio, petiolis bifloris, floribus umbellatis *Hall. helv. p. 1316.*

I. alpinus capitulo glomerato et nigro splendente *Scheuch. it. I. p. 40. f. 2.*

*Iuncoides alpinum*, flosculis iunci glomeratis atrofuscis *Scheuch. gram. 323. t. 7. f. 9.*

*Habitat in alpibus Helveticis, Austriacis, Salisburgenibus. 2.*

*Culmus* pedalis erectus teres.

*Folia radicalia* culmo breviora rigida canaliculata.

*Folium culneum* in superiore culme parte solitarium rigidum canaliculatum.

*Capitulum* atrum splendens octo- vel novemflorum terminale e floribus breve pedicellatis compositum, basi squama fusca brevi suffultum.

*Calyx* bivalvis atro-fuscus petalis longe brevior, valvulis ovatis margine membranaceis.

*Petala* sex lanceolata, tria interiora obtusiuscula, exteriora mucronata.

*Filamenta* sex brevissima.

*Capitulum* non vidi.

#### 46. *Iuncus capitatus.*

I. culmo nudo filiformi, capitulo terminali sessili sub-solitario involucrato *Sp. pl. ed. W. 2, p. 209.*

I. (*gracilis*) culmo nudo erecto filiformi simplicissimo,

foliis filiformibus semicylindricis canaliculatis, capitulo terminali, involucro subpentaphyllo Roth. germ.

I. 155. II. 402.

I. (*ericetorum*) culmo nudo filiformi, foliis linearibus canaliculatis, capitulo subrotundo sessili terminali triphylo Pollich. pal. n. 350.

I. (*mutabilis*) humilis cespitosus, culmis subfoliosis, foliis canaliculatis, floribus congestis sessilibus Cavan. ic. 3. p. 49. t. 296. f. 2. exlusis synonymis

I. foliatus minimus Bauh. hist. 2. p. 523. Rupp. ien. 146.

8. I. (*capitatus*) foliis setaceis, capitulis terminali alarique subfoliosis, petalis acutis integris pericarpio aequalibus Weigel. obs. 28. t. 2. f. 5. exclusis synonymis Halleri, Scheuchzeri, Dillenii.

*Habitat in Germaniae, Hispaniae glareosis subudis.* ◎

*Culmus* filiformis uncialis vel triuncialis erectus *nudus.*

*Folia* uncialia vel semiuncialia linearis-setacea canaliculata, pauca, omnia ad radicem congesta.

*Capitulum* solitarium terminale, interdum bina rarius tria, tunc unicum terminale reliqua remotiora lateralia. Flores tres, quinque vel sex in capitulo aggregati.

*Folium* longum capitulo est subiectum cum binis vel tribus brevissimis.

*Calyx* bivalvis corolla brevior membranaceus, valvulis oblongis acuminatis.

*Petala* sex membranacea nervo medio crassiore, tria exteriora oblonga acuminata longiora, tria interiora oblonga mucronata.

*Capsula* oblonga obtusa petalis brevior trilocularis polysperma.

D 2

47. *Iuncus triglumis.*

- I. culmo basi folioso, foliis linearibus planis, capitulo trifloro involucrum subaequanti.
- I. foliis planis, gluma triflora terminali *Sp. pl. ed. W. 2. p. 216. Gmel. fib. 1. p. 67. n. 29. Fl. dan. t. 132. Fl. suec. 306. Vill. delph. 2. p. 243.*
- I. floribus terminalibus subternis, bracteis duabus ovalis flores subaequantibus *Vahl. Act. Soc. Hist. Nat. Haf. 2. P. 1. p. 38.*
- I. foliis planis, capitulo trifloro terminali erecto aphylllo bracteato *Smith. brit. 2. p. 382.*
- I. caule bifolio, foliis teretibus, floribus terminalibus ternis *Hall. helv. n. 1314.*
- I. gluma triflora culnum terminante *Fl. lapp. 115. t. 10. f. 5.*
- I. exiguis montanus mucrone carens *Bauh. pin. 12. prod. 22. theatr. 183. Rudb. elys. 1. p. 103. f. 8.*

Gramen cyperoides minus caryophylli proliferi capitulo *Morif. hist. 3. f. 8. t. 12. f. 40.*

*Habitat in summis alpibus Lapponiae, Norvegiae, Scotiae, Galliae, Italiae, Helvetiae, Salisburgi, Sibiriae. 2.*

*Culmus erectus bi- vel triuncialis basi tantum foliis binis instructus.*

*Folia radicalia linearia plana angusta obtusa culmo triplo breviora.*

*Folia culnea bina linearia plana angusta basi in vaginam latam desinentia.*

*Capitulum triflorum terminale rarissime bi- vel quadriflorum.*

*Involucrum diphylum brunneum longitudine fere florum, foliolis obtusis.*

*Calyx bivalvis brunneus inaequalis petalis brevior.*

*Petala* sex oblongo-lanceolata obtusa brunnea.

*Capula* oblonga triquetra acutiuscula petalorum longitudine, trilocularis polysperma.

48. *Iuncus biglumis.*

I. culmo basi folioso, foliis linearibus planis, capitulo subbifloro folio suffulto.

I. foliis subulatis, gluma biflora terminali *Sp. pl. ed. W. 2. p. 216. Amoen. acad. 2. p. 266. t. 3. f. 3. Fl. dan. t. 120. Fl. suec. 120.*

I. floribus terminalibus subgeminis, bractea altera floribus longiore acuminata *Vahl. Act. Soc. Hist. Nat. Haf. 2. p. 1. p. 38.*

I. foliis planis capitulo bifloro terminali secundo, basi foliato *Smith. brit. 2. p. 382.*

*Habitat in alpibus Lapponiae, Norvegiae, Scotiae. 4.*

Simillimus praecedenti tamen diversus, capitulo bifloro, involucro monophyllo apice foliaceo, capitulo longiore, capsula ovata obtusa petalis longiore.

49. *Iuncus stygius.*

I. foliis setaceis compressis, capitulis binis bifloris terminalibus.

I. foliis setaceis depresso-fulvis, pedunculis geminis terminalibus glumis terminalibus subbifloris *Sp. pl. ed. W. 2. p. 215. Smith. ic. ined. 3. p. 55. t. 55.*

*Habitat in Lapponiae Uplandiae paludibus profundis. 4.*

*Culmus* semipedalis erectus triphyllus.

*Folia* linearis setacea compressa basi in vaginam truncatam desinentia, infimum triunciale, intermedium biunciale, summum a floribus parum remotum unciale, culmo brevius.

*Capitula bina parva biflora, alterum terminale, alterum sessile.*

*Calyx bivalvis membranaceus involucrum capituli-formans, et biflorus.*

*Petala sex membranacea albida tria exteriora pa-rum angustiora externe fulcescentia.*

*Capsula oblonga obtusa petalis longior trilocularis trivalvis polysperma.*

+++++ *culmis uni- vel trifloris.*

50. *Iuncus trifidus.*

I. culmo basi nudo, apice triphylo subtrifloro.

I. culmo nudo, foliis floribusque tribus terminalibus.

*Sp. pl. ed. W. 2. p. 208. Fl. lapp. 119. Fl. suec. 301.*

*Roy. lugd. 43. Fl. dan. t. 107. Scop. carn. n. 432. Hoffm.*

*germ. 124. Roth. germ. I. 159. II. 401. Smith. brit.*

*2. p. 378. Lightf. scot. I. p. 183. t. 9. f. 1. Huds. angl. 149.*

*Iuncus monanthos Iacq. obs. n. 33. t. 4. f. 1.*

I. acuminis reflexo, trifidus Hall. helv. n. 1315.

I. acuminis reflexo, minor et trifidus Bauhin. pin. 12.

*pradr. 22. theatr. 186.*

*Iuncoides alpinum trifidum Scheuch. grām. 325.*

*Habitat in alpibus Lapponiae, Scotiae, Helvetiae, Salisburgi, Austriae. 4.*

*Culmus semipedalis erectus basi plerunque nudus interdum folio unico supra basin, apicem vero versus semper foliis tribus, rarius binis, instructus.*

*Folia setacea canaliculata, culmea culmo longiora, basi vaginantia, vaginis membranaceis ciliatis.*

*Flores tres, subinde tantum unicus, rarius bini, pendunculati in apice culmi.*  
*Calyx bivalvis, valvulis ovatis acutis, apice membranaceis.*

*Petala sex oblonga acuminata.*

*Capsula oblonga acuminata.*

51. *Iuncus grandiflorus.*

I. culmo nudo apice unifloro, foliis teretibus.

I. culmo nudo unifloro, foliis teretibus, foliolis calycinis linearis subulatis longissimis inaequalibus Sp. pl. ed. W. 2. p. 207, Lamarck. encycl. 3. p. 255.

I. folio tereti, culmo unifloro, flore erecto singulari nudo Linn. suppl. 209.

I. folio tereti, flore solitario terminali subnudo Forst. Comment. Goett. 9. p. 27. t. 3.

*Habitat in America australi ad fretum Magellanicum. 2.*

*Culmi cespitosi plures nudi crassitie pennae anserinae pedales erecti.*

*Folium teres subulatum crassitie fere culmi et eiusdem fere longitudinis, saepius tamen longius, basi culmum vagina cingens.*

*Flos solitarius omnium Iuncorum maximus in apice culmi.*

*Calyx trivalvis, valvulis membranaceis ovatis corolla longe brevioribus.*

*Petala sex linearia, tria exteriora longiora acuminata, interiora membranacea mucronata.*

*Capsulam non vidi.*

52. *Tuncus magellanicus.*

I. culmo nudo unifloro, flore laterali, foliis planis.

I. culmo nudo unifloro, foliis planiusculis angustissimis culmo longioribus, flore laterali. Lamarck. encycl. 3.

p. 255.

*Habitat in America australi ad fretum Magellanicum. 24.*

Haec inter cognitas ultima species a LAMARCKIO ut sequitur est descripta.

„*Radix* non repens. *Culmi* filiformes angulosi numeri uniflori sex- vel octopollicares. *Folia radicalia* plana subcarinata stricta glaberrima culmo longiora. *Infra culmi apicem*, est flos unicus sessilis sex lineas loupes, *Calyce* univalvi parvo linearis subulato suffulatur. *Petala* atra albo-marginata. *Filamenta* sex brevissimam. *Antherae* lineares calyce breviores. *Gerumen* subrotundum atrum. *Stylus* filiformis. *Stigmata* tria capillacea.“

## IUNCI SPECIES DUBIAE.

Hactenus de Iuncis cognitis, extant adhuc in scriptis Botanicorum varii non rite determinati, quos vel ob mancum et brevem descriptionem vel ob defectum omnium characterum scrutinio aliorum, quibus occasio, hos examinandi, haud deest, commendo. Sunt nimirum:

*Iuncus (subulatus)* foliis subulatis, paniculis terminalibus, involucro diphylo subulato *Forsk. descript. pl. aegypt. 75.*

*Iuncus (spinosus)* involucris paniculae infimae pungentibus, superioris setiferis *Forsk. descript. pl. aegypt. 75.*

*Iuncus tenax* *Forst. prodr. n. 514.* e Nova Zealandia.

*Iuncus Zeylonicus* *Houttuyn Linn. Pfl.-Syst. 12. p. 612. t. 93. f. 1.*

*Iuncus bulbosus* *Loureiro cochin. I. p. 265.*

## IUNCORUM USUS. I.

Iunci nullum odorem vel saporem habent, nisi  
hérbaceum graminibus praecipue proprium; hinc  
nulla aromata, balsama, vel medicamina nobis  
praebent, et usus eorum est valde exiguus.

Antiqui médicti semenibus Iunci conglomerati  
et effusi ad diarrhoeos pellendas et ad fluxum  
menstruum sedandum, usi sunt; sed recentiores  
ob copiam efficaciorum medicaminum, hoc plane,  
et guidem iure, reiecerunt.

Culni et folia pecoribus vix pabulum dant, ex-  
ceptis Iuncis maximo affinibus, qui hōbus, defectu  
aliorum vegetabilium sunt grati. Semina ab avi-  
bus commeduntur.

Radices specierum primi divisionis ad paludes  
exsiccandas sunt utiles, in quem finem et Iuncus  
bulbosus inservit.

Medulla culmorum decorticatorum Iunci con-  
glomerati et aliorum ad ellychnia in lucernis ad-  
hibentur.

Iuncus effusus in Iaponia, oryzae instar, in  
agris paludosis colitur. Iaponenses ex culmis hu-  
ius, irrigatione et insolatione dealbatis, tapetes  
bonos construunt, qui in pavimenta domorum ster-  
nuntur.

# T H E S S.

## I.

Medicamina quo simpliciora, eo praeftantiora.

## II.

Nullum datur signum certum virginitatis nec physicae nec moralis.

## III.

Helleborus quo usus est Hippocrates, non est noster Helleborus niger.

## IV.

Peritonitis puerperarum plerumque characterem typhi habet, ideoque raro venaelectio indicata est.

## V.

Hydrocele curatio ope medicamentorum tam internorum, quam externorum, item illius cura palliativa ope punctionis; saepenumero curae sicut dicta radicali praeferenda est.

## VI.

Verarum Herniarum, sint vel ab intestinis vel ab omento effectae, cura radicalis, melius negligitur, quam intenditur; fere semper successa deſtituitur.

---

Wolfsburg ob Erzgebirge zum zumalb

den Altvaterha schenken schenken wth mulfari

Den Gott Schreiter der Fuerst von mulfari

DE  
CASSIAE  
SPECIEBUS OFFICINALIBUS,

---

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE  
HALENSIS,

PRAESIDE  
JO. CHRISTIANO REIL,

MEDIC. ET CHIRURG. DOCT.

PROF. THERAP. PUBL. ORD. DIRECT. SCHOLAE CLIN.  
CIVIT. HALENS. POLIAT. ACADEM. NATUR. CURIOS.  
SOCIET. MED. CHIR. ET PHARM. BRUXELL. SOCIET.  
MED. ET CHIR. ANTVERP. SOCIET. MED. PER HELVET.  
CORRESPOND. SODAL. FACULT. MED. H. T.  
DECANO,

UT

GRADUM DOCTORIS  
MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LEGITIME ACQUIRAT,

DIE IV. DECEMBER. MDCCCXI.

PUBLICE DISPUTABIT

GEORG. FRIDER. GULIELM. KIEHL,  
POTSDAMIENSIS,  
SOCIET. SYDENH. HALENS. SOCIUS.

---

HALAE,  
IN OFFICINA BATHEANA.



VIRO

ILLUSTRI ET CLARISSIMO,

S C H A C K,

CHIRURGORUM PRAEFECTO IN LEGIONE  
PEDESTRI COURBIERES,

PATRONO ET FAUTORI  
DE SE MERITISSIMO,

NEC NON

COGNATO SUO DILECTISSIMO LI

JO. GOTHOFREDO  
B R A U N,

BIBLIOPOLAE MERITISSIMO,

PIETATIS ET GRATITUDINIS CAUSSA

HOCCE OPUSCULUM

VOVET

G. F. G. KIEHL.

DE  
**CASSIAE SPECIEBUS**  
**OFFICINALIBUS.**  

---

**Historia Caffiae.**

**I**nter medicamenta, quae insignem praxeos medicae vicissitudinem pepererunt, merito militant pulpa Cassiae et semina Sennae. Etenim priusquam ea inventa essent, purgantibus remediis utebantur veteres fortioribus, iisque, quae valido suo stimulo intestina potius offendere, tormina et colicos dolores producere poterant.

Prisca medicorum Graecorum gens adhibuit praeter Cocos gnidios, seu semina Daphnes Mezerei, Euphorbiarum succum acerrimum

sicibus instillandum, pulpam Momordicae Elaterrae, succum inspissatum Convolvuli Scammoniae, Veratri albi radicem, Colocynthidis pulpam et succum Cyclaminis europaei: quibus omnibus insunt vires vehementer irritantes, ut sine summa caute latere nusquam in febribus adhiberi possent.

Ad Arabum artes grati referimus salium purationem neutrorum, quibus mitior intestinorum irritatio et modica muci aliorumque humorum excretio promoveri potest. Arabum commerciis ad Indorum et Sinarum terminos extensis tribendum est, quod plura medicamina leniter evanuantia in officinas introducta sint, ex India adlata, quibus caruit antiquitas, quaeque insignem habere usum ad excernendas fortes biliosas constitit.

Praeter tamarindorum pulpam his adnumerari possunt Cassiae species duae, Fistula nimirum ac Senna, hodienum et in Aegypto et in Italia cultae, quae vero antiquitus solummodo in India crescebant. Arabum navigia autem a saeculo octavo inde usque ad Chinam progressa retulerunt inde et ex India citra ultraque Gangem varias res pretiosas ipsaque remedia prius incongnita 1).

1) M. C. Sprengels Gesch. der geogr. Entdeck. S. 168. f.

Longe aliud autem medicamentum Cassiae nomine veteres Graeci insignierunt ac posteriores. Laurus enim species, Cassia nobis dicta, fistulosos cortices largitur, etiamnum nomine Cassiae ligneae nomine notos, quos antiqui nomine Cassiae fistulae appellarunt, eaque ratione eos distinxerunt a Cassia lignea, ut haec signaret cortices ramerum majorum crassiores, quibus lignum ipsum adhaereret, fistula vero minorum ramerum cortices tenuiores sine ligno adhaerente, fortiores hos odore et gratiiores sapore 2).

Primi vero Arabum auctores ita mutarunt eam appellationem, ut nomine Chiar-dschambar, (seu cucumeris optimi) quod vertunt interpres Cassiam fistulam, complectentur eam, quam nosmet ipsi ita appellamus. Prima autem vestigia adhibiti hujus remedii quaerenda sunt versus finem septimi saeculi, ubi Iudeus interpres Maserdschawaihus 3), cum passulis mixtam pulpam Cassiae fistulae, tanquam lenissimum eccoproticum adhibuit 4). Post eum interpres alias Nestorianus, Mesue dictus, magnopere laudavit fructus Cassiae fistulae adpurgandam bilem utramque, ad sanguinis acrimoniam

2) Dioscorid. lib. I. c. 12. p. 12. ed. Sarracen. —  
Plin. lib. XII. c. c. 19. p. 668. ed. Harduin.

3) K. Sprengels Gesch. der Arzneyk. Th. II. S. 352.

4) Rhaz. contin. lib. XXII. c. 296. f. 435. c. ed. Venet.

mitigandam et mulcenda intestina. Adhibuit praesertim in ictero et ad oris ulcera, a drachmis tribus ad unciam unam 5).

Noni saeculi auctor *Serapion* e Bassra et Yemen adferri cassiam fistulam testatur, ac commendat de meliore nota in melancholicis affectibus et hepatis morbis 6). Iste tamen *Rhazeus* praeter nostram Cassiam fistulam alio loco aliam et antiquam quidem memorat, ex India et Kabul provincia advectam, cuius cortex usurpetur 7).

*Avicenna* his nil addit, nisi de patria quaedam. Etenim aliam esse e Bassrah, aliam e Kabul: illam vero haudquaquam sponte provenire circa Bassrah, sed eo adferri ex India et Belad in Perside 8).

Quod *Sennae* primum attinet usum, is a propheta ipso Muhammede vulgo derivatur. Id enim meritum ipsi tribuunt orientales medici, quod acrioribus purgantibus ex euphorbiarum succis aut e rhabarbaro paratis substituerit sennae folia, tanquam mitiora 9).

5) *Ib.* et *Serapion* de *simpl.* c. 12. f. 122. d.

6) *Ib.* et c. 58 f. 131. b.

7) *Rhaz.* l. c. f. 532. a.

8) *Avicenn.* *canon*, *lib. II.* p. 271. ed. Rom. arab.

(Haec quidem et alia Arabum loca benigne mecum communicavit *Ill. Sprengelius*.)

9) *Reiske* *opusc.* *medica e monument.* *Arab.* p. 35. (ed. *Gruner*, *Hal.* 1776.)

— 9 —

Neque tamen satis amasse videntur Arabes medici id medicamentum, siquidem pauculi duntaxat id memorarunt: plerique autem siccо plerumque pede transierunt. Primus fere meminit sennae Serapion, tanquam egregii eccoprotici, quod ad eliminandam bilem utramque et ad sananda ulcera eximie inserviat 10). Is etiam solus esse videtur, qui disertius paullo de eo remedio loquutus est. Post eum Graeci medici ab Arabibus mutuo acceperunt Sennae fructus potius quam folia, quibus ad drachmam unam usi sunt ad purgandam alvum 11). Composuerunt etiam varias antidotos adversus podagram et elephantiasin e sennae fructibus 12).

Quam olim tantummodo ex India et terra Yemen advexerant Cassiam fistulam, medio aeo in Aegypto ab Arabibus cultam inde in Europam apportarunt: unde Aegyptus vulgo patria ejus substantiae habita fuit. Quid quod, detecta America, in insulis Antillis eamdem arborem invenerunt, unde copta est Cassia fistula denuo ex India occidentali adferri, quo facto breviori tempore et multo recentior, minusque depravata adhiberi potuit.

10) I. c. c. 58. f. 131. b.

11) Actuar. meth. med. lib. V, c. 8, col. 274. ed. Stephan.

12) Nic. Myreplic. c. 465. 472. col. 455. 457. ed. Stephan.

Ex America autem adferri Cassiam fistulam primus fere testatus est Andreas Marinus, qui cirea finem saeculi decimi sexti in Mesuen commentatus est. Is triplex genus cassiae ipsius aetate advehi in Europam, testatur: memphiticam primam, cahirinam aut damiatensem alteram, tertiam americanam. Memphiscam optimam existimari et revera esse, mediocri siliquae crassitie, subrubram, gravem, et quae frangenti corticem ostendat albidum tenuemque et succum pingue. Damiatensem deteriorem esse, siliquas habere crassiores, minime rotundas, sed potius triangulares vel quadrangulares, quae corticem crassum habeant et puluae parum intus continent, eamque spongiosam ac raram atque ob eam caussam levioram esse, colorem praterea nigrum habere. Occidentalem pluribus locis in Italiam convehi: nam et ex Hispaniola et Cuba aliisque insulis, praeterea ex Paria continente magnam Cassiae copiam deferri, quas tamen omnes similes esse, neque ulla habere, quibus distinguuntur, peculiares notas. Graviores insuper esse et cortice crassiori praeditas: esse tamen succi plenas et colore perinde ac Damiatensem nigro. Valentius ceteris alvum lenire occidentalem, eam etiam vilissimo pretio vendi; pretiosam esse memphiticam, medium damiatensem 13).

13) Marin. comm. in Mesuen f. 52. b.

## Cassiae character genericus.

Decimae classi qui, Linnaeo praeeunte, Cassiam adnumerant, decem etiam antheras adsument, quarum tres supremae vero minimae sunt ac steriles, reliquae septem ita distinguuntur, ut tres inferiores maximae sint prostratae et arcuatae, quatuor laterales autem rostro destitutae et mediocres.

Eam vero opinionem facile aliquis posset ita infringere, ut, dum sola adesse stamina sine antheris loco supremo corollae perhibeat, decimae classi etiam abjudicanda sit ea planta, exemplo Chelones et Pentastemonis in decimam quartam classem amandatorum, licet quinti staminis manifestum adsit rudimentum.

Quae quomodounque sint, character genericus maxime complectitur eam antherarum et filamentorum rationem, ut tres summae steriles sint, tres inferiores prostratae aut arcuatae. Deinde potissimum pertinet ad characterem genericum forma pericarpii, quae legumen est dissepimentis transversis. Id legumen vario modo in variis speciebus sese habet: modo enim, ut in Cassia fistula, est longum, teres, evalve, multiloculare, loculamentis pulpa farctis: modo, ut in Cassia senna, est legumen ovato-reniforme, membranaceum, bivalve, multiloculare. Ex ea au-

tem leguminis varia forma summus Gärtnerus efficere studuit 14), utramque speciem sistere duo peculiaria genera. At vero, cum reliqua omnia apprime congruant, hac sola leguminis forma haudquaquam comprehendendit ratio, genera duo stabilire differentia.

## III.

**Cassia Fistula,**

foliis quinquejugis ovatis acutis glabris, petiolaris eglandulatis; leguminibus teretibus evalvibus.

Optimam iconem videsis in Rumphii herbario Amboinensi, Vol. II. Tab. 21.

Procera haec arbor in utraque India sponte proveniens, Juglandis nostratis fere formam habet, coma tamen paullo ampliore, glabrum habet et cinereo-pallidum corticem. Folia rhachi incident longa, erecta, in binos ordines disposita, quinque paribus utrinque, raro extremo impari; glabra, ovata, basi aequalia, acuta ac multis nervis parallelis pertexta.

Flores in magnis et extensis proveniunt racemis: multo majores ii sunt floribus Cassiae malilandicae, quae satis frequenter in hortis nostris colitur. Petala quinque fere aequalia, lutei co-

14) De fruct. et semin. plant. Vol. II. p. 312. 313.

loris. Stamina viridia, longa, arcuata, quorum septem insident antherae ovales, cinereae. Stigma autem pistillo longissimo et arcuato adhaeret lateraliter: relinquit pistilli basi legumen fertile, quale supra descripsimus. Quibus addere licet, legumina ea quandoque ultra binos pedes longa esse, latat amen vix pollicem, divisa circulis transversis in cellulas pulpa atra refertas, intra quam semina nidulantur.

In India orientali optime provenire in Cambaya haec arbor dicitur, atque inde etiam Lusitani optimos fructus referre contendunt. Amat autem durum et argillosum solum, multo deterior evadit, ubi in sabulosum transplantatur. Abhorrent incolae Indiae orientalis ab usu et puluae et ipsorum seminum: dicitur enim, iis citam alvum moveri, quae facile vires infringere possit 15).

Solent autem Lusitani viridia ac mollia legumina primum aqua ebullire ac dein iterum siccata saccharo condire, quo facto vasis compacta transvehuntur in Europam, ut feminae teneriores et pueri iis vescantur.

Quodsi vero discesseris a Lusitania, reliquae Europae regiones accipiunt Cassiam ex America, praesertim vero ex Hispaniola ac Portorico, unde in Hispaniam transfertur. Praeterea quoque

15) Rumph. herb. Amboin. vol. II. p. 85.

Martinica insula insignem fert copiam, quam Gallia et Italia accipit 16). Ea americana et nostris temporibus praestantior orientali iudicanda, cum intra brevius temporis spatium transvehatur, itaque multo recentior adhiberi possit.

Quod si forte ex Aegypto adfertur Cassia, ea pessima judicanda, cum legamus, immatura legumina decerpta in aedes aretissime clausas per strata dimidii pedis altitudine, interpositis foliis palmae, distribui, posteris diebus ea strata aqua conspergi et per quadraginta dies sic ad nigredinem usque relinqui. Aër enim adgrediens pulpam facillime corrumpere valet 17).

Inest autem puluae acidulus dulcisque sapor, et vis leniter alvum molliens, quae acuitur lignosae partis fructus pauxillo addito; quod quam Arabes jam cognoscerent, Fallopius experientia sua confirmavit 18).

Analysin chemicam puluae hujus optime instituit celeberrimus Gallorum chemicus Vauquelinus 19), cujus praecipua capita adiungere libet: Pulpae decem unciae cum tribus drachmis infusae aquae sex libris, dein colatae per cibrum Iargitae sunt substantiam subtilem, quam alienam esse ab ipso extracto judicavit, quam ope chartae

16) Spielmann Mat. med. p. 621.

17) Prosp. Alpini de plant. Aegypt. p. 5.

18) Opp. p. 112.

19) Annales de chimie, Vol. VI. p. 275. s.

bibulae ab hoc separavit. Pondus ejus substantiae siccatae aequavit tres drachmas: segregata hac cum feminibus et dissepimentis antea puluae inhaerentibus extracti pondus rediit ad sex uncias cum septem drachmis. Dum hic liquor evaparetur, ascendit pellicula brunea elastica, quae siccata 73 grana pendebat. Frigidus iterum liquor secessit in duas partes, alteram mollem aut leviter solidam, alteram liquidam: filtratione separata utraque, illius pondus aequavit quatuor grana.

Nova evaporatione instituta alcohol inde praecipitavit atram substantiam, duarum drachmarum pondere: neque tamen inde alio quam levissimo rubore suffusum est alcohol, unde efficiendum est, substantias paullatim separatas fortius attrahere spiritum vini, quam eam, quae cum alchohole coiit. Solutione alcoholica siccata obtinuit duas uncias substantiae flavicundae, diaphanae, faporis initio suavis, sed dein nauseosi.

Materies haec extractiva ope acidi muriatici oxygenati, aqua soluti, praecipitata fuit, et largita est saccharinam substantiam, duarum unciarum pondere.

Substantia illa subtilis, charta bibula separata, acidi nitrici ope dedit acidum oxalicum, evoluto azotico: acidum muriaticum oxygenatum colore

atrum ipsi ademit, candidum ei impertiens. Pellicula illa glutini cerealium analoga videtur, cum alcalia caustica eandem secum, ope caloris, uniant, ac acidum nitricum azotici exiguum copiam, multo majorem vero acidi oxalici evolvat.

Substantia mollis illa aut leviter solida in frigida vix, in calida vero optime solvitur, gelatina formata. Acidum muriaticum oxygenatum ipsi ademit amarum saporem, quo ante pollebat.

Substantia alchole separata valde amara erat, gummosa, extracti ope colorem adepta esse videbatur, cuius extracti exiguum portionem continet, quod ope oxygenis nimia copia indissolubile factum est. Praeterea extractiva substantia et saccharina insunt.

Rationem autem harum partium eam invenit **Vauquelinus**, ut substantiae subtilis charta bibula separatae drachmas tres, glutinis drachmam unam, gelatinæ quatuor, gummatis duas drachmas, extracti grana 47, sacchari uncias duas cum tribus drachmis in quatuor unciis pulpae adessent 20).

Quod si tanta copia sacchari pulpae huic inest, simili modo agere et attrahere caloricum ex humoribus

20) Ib. p. 287

moribus corporis humani et leniter stimulare intestina necesse est. Saccharum enim Fourcroyi juxta investigationes 21) nil aliud est, quam corpus mucosum hyperoxydandum. Is mucus, si aequabili ratione cum oxygene conjunctus est, mulcet intestina, blande mollire alvum et lenire potest. Id saepenumero observamus in aliis saccharinis substantiis. Etenim et saccharum hordeatum et fructus radicesque saccharum continentes alvum molliter ducere solent.

Quo autem minus intimum est connubium muci et oxygenis, eo celerius hujus ex atmosphaera copia attrahitur, ut acescat saccharina substantia. Eam mutationem observamus fere in omnibus saccharinis substantiis, quoties aliena multa iis admixta sunt et fermentationem subire incipiunt. Varii fructus nostrates, saccharo abundantes, acetum optimum largiri possunt: eamque mutationem frequenter etiam in cassiae pulpa animadversimus. Eo facilius potest autem acescere, quo plures adlunt particulae peregrinae cum saccharina substantia haudquaquam intime mixtae.

Neque obest intestinis, dum jam acorem concepit. Namque caloricum etiamnum fortius

21) Système des connaissances chimiques, Tom. VII,  
p. 168.

IV.

*Cassia Senna,*

fol. quadrijugis subovatis, petiolis eglandulatis,  
legumine ovato-reniformi, bivalvi, mem-  
branaceo.

$\alpha.$  *alexandrina* fol. acutis lanceolatis.

$\beta.$  *italica* fol. obtusiusculis ovalibus.

Utriusque iconem, licet satis rudem, exhibuit  
*Morisonius*, Hist. plant. Oxon. P. II. sect.  
2. Tab. 24. Fig. 1. 2.

Comprehenditur hac specie utraque varietas  
et alexandrina et italica, quam vere distinctam  
facile aliquis putaverit, qui solummodo ad folio-  
rum structuram animum adverterit. At vero, cum  
*Gouani* testimonio 24) constet, alexandrinam  
cultura omnino transire in italicam, dubium non  
est, solas esse varietates.

Utra autem sit usui praferenda, diu multum-  
que disceptatum est. Praferunt vulgo alexandri-  
nam, neque tamen defuerunt, qui contrarium  
experientia evincere contenderent. *Fallopious*  
jam italicae sua praerogativam largitur, quod  
recentior haberi possit et virtute polleat. Ita etiam  
*Soliva* commendatione sua effecit, ut in Hispania

24) *Murray* I. c. p. 389.

talica potius coleretur 25). Praestare italicam, quod tormina haud facile excitet, ceteroquin paullo debiliorem alexandrina esse, Costius et Willemet perhibuerunt.

Tertiam varietatem olim ex Oriente afferre consuerunt, Tripolitanum nempe, foliis minus acutis, acumine multo molliori, latioribus, laetius virentibus. Virtute tamen inferior putabatur 26). His addatur, in Oriente quartam varietatem usurpari, Meccanam, cuius folia angustiora, longiora et acutiora ipsis alexandrinae foliis sunt 27).

Qui sennam primi commendarunt, legumina potius et semina, quam folia adhiberi suaserunt. Id consilium etiam nuperi quidam sequuti sunt, qui minus tormina a fructibus quam a foliis excitari perhibent 28). Paullo debiliorem tamen fructibus virtutem quam foliis tribuit Lieutaudius 29).

Foliorum odor et virentium et siccatorum, praeprimis bullientium, ingratus, parumper

25) Ib.

26) Tournefort traité de la matière med. vol. I. p. 38.

27) Geoffroy traité de la mat. med. vol. III. p. 13.

28) Spielmann mat. med. p. 647.

29) Précis de la mat. médic. p. 293.

oriretur 33). Hinc etiam jussit Pharmacopoea pauperum Holmienis stipites non auferri 34).

Tollitur autem id incommodum Bouillonii consilio, quod ante eum, experientia ducti, varii jam sequuti sunt. Coquenda quippe haudquaquam esse folia, sed solummodo infundenda aqua, si fieri possit, frigida. Quodsi autem acuenda fuerint alia infusa calida sennae foliis, haec sub finem ebullitionis addenda, ne oxygenis nimia copia attracta, resinosa pars nimis eliciatur. Possunt etiam addi aromata, aut infundenda sunt folia aqua menthae piperitae vel cum floribus chamomillae simul infundenda. Pharmacopoea Edinensis addit aquam cinnamomi, Londinensis semina cardamomi aut flavedinem corticum aurantiorum,

Additur vulgo etiam vel tamarindorum pulpa et prunorum, vel tremor tartari aut acidum citri. Haec vero connubia spernenda potius sunt quam laudanda, quum quodvis acidum infuso foliorum additum acuere resinam et augere valeat.

Sufficit autem, unciam dimidiam foliorum ad octo uncias aquae sumere, ut colati liquidii sex

33) L. c. p. 339.

34) Murray l. c. p. 393.

unciae supersint. Multo debiliorem infusionem Alstonius praecipit, quippe drachmam unam ad octo uncias colati liquidi.

Irritans indoles hujus remedii prohibet pulveris forma folia ordinare, quod et Geoffroyus et Alstonius suadent.

Ex eadem irritante indole efficiendum est, quam parum tuta sit medicina in acutis morbis, maxime si sueto more folia coquuntur. Ubique enim vel congestiones vel febrilis status ad sunt, cavendum omnino est a quovis purgante, quod irritante indole pollet.

Substitui interdum verae Sennae folia Coluteae arborecentis, quam Sennae germanicae nomine insigniunt, refert Bartholinus 35). Nec id immerito fieri videtur, quum folia hujus arbusculae omnino purgante vi polleant 36).

V.

Occidentales variae species, quae medicamenta largiuntur.

a. *Cassia occidentalis*,  
foliis quinquejugis ovato-lanceolatis margine  
scabris, exterioribus majoribus; glandula  
baseos petiolarum.

35) Med. Danorum domest. p. 229.

36) Murray l. c. p. 390.

Nova haec species, a Rodschiedio definita 41), excelsam arboreum venustumque sicut. Ejus folia aqua bulliente infusa eundem effectum ac Sennae folia praestant.

41) L. c. p. 42.

1609.09.01. C. 1609.09.01. 1609.09.01.

Amara

1609.09.01. 1609.09.01. 1609.09.01.

1609.09.01. 1609.09.01. 1609.09.01.

1609.09.01. 1609.09.01. 1609.09.01.

1609.09.01. 1609.09.01. 1609.09.01.

1609.09.01. 1609.09.01. 1609.09.01.

## THESES.

---

### I.

Digestio processus est mere chemicus.

### II.

Caloris animalis temperies normalis et causa  
et effectus vitae est.

### III.

Vita internae corporis conditioni tribuenda.

### IV.

Suffocationes parum bene a mutationibus cor-  
poris mechanicis explicantur.

V.

Foetus sement ipsum nutrit.

VI.

Cum corporis incremento et decremente hominum virtutes crescunt et decrescunt.

VII.

Et humores morbis laborant.

DE

# AMYRIDIS SPECIEBUS OFFICINALIBUS

---

C O N S E N S U

FACULTATIS MEDICAE HALENSIS

P R A E S I D E

IOANNE CHRISTIANO REIL,

FACULT. MEDIC. P. T. DECANO, MEDIC. PROF. P. O. CEF.

U T

GRADUM DOCTORIS MEDICI

LEGITIME ADIPISCATUR,

D. X I I I. N O V. M D C C C L.

P U B L I C E D I S P U T A B I T

ERNESTUS FRIDERICUS THEOPHILUS  
RECHE,

MILICIA · SILESIUS.

---

HALAE,

T Y P I S I, G. R U F F I I.



VIRO

EXCELLENTISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

IOANNI JOSEPHO KAUSCH,

MEDIC. ET PHILOS. DOCTORI, ARCHIATRO  
POPULARI CIRCULI MILICIA - TRACHENBERG,  
ET ADELNAUENSIS,

FAUTORI SUO

SUMME VENERANDO

PIETATIS CAUSSA

HOCCE OPUSCULUM

DICAT

E. F. T. RECHE.



---

DE  
AMYRIDIS SPECIEBUS  
OFFICINALIBUS.

---

I.

GENUS IPSUM ET NOMEN.

**D**iu omnino atque ab omni fere antiquitate notae fuerunt variae plantae huic generi adscriptae: ipsum vero nomen genericum ac character huius essentialis primum a *Brownio* constitutus. Is enim tum maritimae tum balsamiferæ flores fructusque in India occidentali investigans optime eruit, novum genus constituere, quod *Amyridem* dixit, cum scatent quævis fere species balsami naturalis insigni copia et fragranti odore polleat. Quid, quod et nova species, in horto botanico academiae huius culta, quamque III. *Sprengelius* simplicifoliam nuncupat, fragrantem odorem spirat, si folia terantur aut discerpantur.

Nomen ipsum, a *Brownio* lectum, optime compositum est. *Αργεις* enim signat abundantiam *μέγεν* seu balsami, sicut *ἄξενος* abundantiam arborum: et enim non semper privativum, vocibus praefixum, sed augmentativum etiam, ex *ἄγεν* forte contractum,

Characterem genericum primus *Linnaeus* expressit. Pertinet autem genus ad octavam classem: distinguitur ab aliis tum calyce quadridentato et corolla tetrapetala, tum maxime nectario glanduloso staminifero germen cingente, tum demum fructu drupaceo, intra quem nux unica haeret. Nectarii autem, ad characterem genericum relatione meruit primus *Willdenowius* 1). Maximum addit id nectarium esse in quibusdam guianensibus speciebus, quas *Aubletius* leicarum nomine insignit. Eas autem Icicas id etiam distinguit a reliquis Amyridis speciebus, quod plures nuces in drupa contineant. Hinc vel mutandus character Amyridis genericus, vel Icicae genus separandum videtur. Ordine progrediar, quem sequuntur et *Linnaeus* et *Willdenowius*.

## II.

### AMYRIS ELEMIFERA, fol. ternatis, quinatis pinnatisque subtus tomentosis.

Eam arborem primus descriptsit *Gulielmus Piso* iconique illustravit 2, nomine *Icicaribae*: optimam

1) Spec. plant, tom. II. p. I. p. 338.

2) De Indiae utriusque re naturali et medica, lib. IV, c. 8. p. 122. (fol. Amsteld. 1658.)

— 7 —  
vero hodienum iconem exhibuit Marcus Ca-  
tesby 3).

Ex his atque e descriptione auctorum patet: arborem esse fago silvaticae nostrati similem, citra insignem trunci crassitatem in singularem altitudinem succrescere; folia esse modo ternata, modo quinata, modo septenata, sed omnia coriacea, nitida; fasciculos florum in axillis apparere; petalorum colorem subviridem esse: fructus rubros, mole olivarum, quorum substantia pariter olet ac succus ex arbore incisa stillans. Hic enim inciso cortice effluit, noctu spissescit, mannae similis, levi virore conspicuus, mannae molem adfectans ac foeniculi odore fragrans.

Is succus iam ex India occidentali transvehitur in Europam, nomine *Elemi*, neque satis differt a vera resina *Elemi*, quae ex orientali India provenit. Potest enim iisdem usibus exhiberi. Aptius autem de hac substantia loquemur, dum de alia specie praeceperimus.

Crescit arbor non solum in Carolinis, sed et in Brasilia et Cumana.

Usum eius ad emplastra, quibus corroborari possit ventriculus, praedicat iam Gulielmus *Piso*.

3) *Natural history of Carolina, Florida and the Bahama-Islands*, tom. II. p. 33. tab. 33. (fol. Lond. 1743.)

Provenire *Elemi* occidentale e Burserae cuiusdam specie declaravit quondam *Linnaeus* 4), sed ipse dubium mox reddidit 5), nuperrimisque *Vireyi* observationibus manifesto constat, Burseram guminiferam *Tacamahacae* potius matrem esse, quam *Elemi* 6).

### III.

**AMYRIS KATAF,**  
*fol. ternatis, apice serratis, pedunculis confertis bifidis.*

Petrus *Forskoleus* primus hanc speciem ad Bait-el-fakih in Arabia yemenensi invenit<sup>7</sup>. Atque ex eius descriptione patet, esse nonnunquam, ni plerumque hanc speciem dioicam, cum masculos duntat flores examinare potuerit. Nectarium etiam animadvertere nequivit. Folia vidit modo obtusa, modo acuta. Baccas in alia arbore ac florente vidit globosas, umbilico impresso.

Narrarunt Arabes, arborem hanc quotannis tempore pluvioso intumescere et praegnantem evadere pulvere rubro fragrant<sup>i</sup>, quo feminae regionis Abu-arisch, ubi copiose invenitur, capita adspergere et lavare soleant.

4) Amoenit. acad. vol. VII. p. 56.

5) Ib. vol. VIII. p. 191.

6) *Tromsdorfs Journ. der Pharmacie*. B. 17. St. 2. S. 325.

7) *Flor. aegyptiaco-arabica*, p. 80.

Varietatem etiam in medium profert, *Kafal* dictam, quae maiore proceritate, rubro ligno, foliis iunioribus villosis acutis; adultioribus glabris saepe obtusis gaudet. Adfirmarunt autem Arabes, eandem speciem esse iuniorem *Kataf*, adultiorem *Kafal* fieri. Utraque spirat odorem fragrantissimum balsami, quod albido colore etiam e pulpa baccae viridis vulneratae stillat.

Lignum *Kafal* magna commerciorum pars est, et ad Aegyptum transferitur, ubi visa hydrophora fictilia fumo eius imprægnantur, ut gustum aquae partcipent, huic genti acceptum.

Gummi huius arboris purgans esse medicamentum idem auctor testatur.

Ex his vero notis Ill. *Sprengelius* effecit, *Cancamum* veterum, suffimentorum genus, rubrum, myrrhae simile, quod ex arbore sorbo simili petebatur, ad sinum persicum et per Arabiam australem crescente, nihil aliud esse, quam nostrum gummi<sup>8)</sup>). Veteres etiam interno usui *Cancamum* suum commendasse, patet e *Dioscoridis* testimoniis ab Ill. *Sprengelio* allatis.

8) *Antiquit. botan.* p. 87. 88.

## AMYRIS OPOBALSAMUM,

*fol. pinnatis, foliolis sessilibus.*

## AMYRIS GILEADENSIS,

*fol. ternatis integerrimis, pedunculis unifloris lateralibus.*

Eadem ratio compositionis foliorum et hic obtinere videtur, ac in Amyride elemifera, quod nempe modo ternata, modo pinnata, modo etiam bipinnata inveniantur, pro varia aetate ac pro vario solo, quo fruuntur. Qui primus hanc plantam descriptis, *Theophrastus* 9), rutaes similia declarat folia, quae omnino bipinnata sunt, in quo quidem sequaces habet *Dioscoridem* et *Plinium* et alios. Qui primus autoptes eam delineavit *Prosper Alpinus*, folia quoque habet inferiora ternata et quinata, superiora pinnata 10). *Uberius* et *disertius* idem confirmat celeberrimus peregrinator, *Petrus Belonius*, qui hortum balsami fruticibus constitutum prope a Cairo visitavit 11). Hic, inquit, lentiscinorum foliorum modo sunt formata, ita utrinque in communi petiolo nata, ut in rosis, fraxinis vel iuglandibus videre est, ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedunt; sicque constructa est eorum

9) *Hist. plant.* lib. IX, c. 6. p. 999. ed. *Bodaei a Stapel.*10) *De plantis Aegypti*, c. 14. p. 60. (4. *Patas.* 1640.)11) *Les observations de plusieurs singularitez trouvées en Grèce, en Asie, Iudée, Egypte etc.* liv. II. ch. 39. p. 140. (8. *Anvers* 1555.)

series, ut postremum foliolum, extimam alam 'occupans, imparem numerum efficiat; nam totius aese foliolis numeratis, terna quina aut septena inveniuntur; septenarium certe numerum vix superare animadvertisimus: extremum autem foliolum reliquis maius est, facto enim ab illo progressu, reliqua sensim minutiora fiunt, ut in rutae foliis.

Biseculari post Belonium intervallo *Forskoleus* 12) illustris peregrinator Amyridis Opobalsami prope urbem Haes in Arabia felici crescentis folia solummodo ternata declarat, sed medium etiam maius obovatum, lateralia minora, ovalia. *Forskolei* herbario utens Martinus Vahl egregie delineari curavit Amyridis huius exemplar, foliis ternatis, foliolis integerimis: dixit autem cum Linnaco gileadem 13). Distinxerat quidem iamdiu *Linnaeus* eam speciem ab alia, foliis pinnatis, quam et *Alpinus* et *Belonius* viderant, quamque Opobalsamum nuncupaverat; sed ipse summus vir ingenue fatetur, dubium superesse, sintne hae duae species verae, an solae varietates unius. Immo denique concludit, vel esse utramque plantam unius eiusdemque speciei, vel differentiam pariter parvam, ac inter *Jasminum officinale* et *grandiflorum*, vel inter *Nigellam arvensem* et

12) L. c. p. 79.

13) *Symbol. botan.* tom. I. p. 28. tab. II.

sativam: utramque producere idem balsamum maiore vel minore copia 14).

Deinde novum fere dubium natum est ex inquisitione *Gleditschii*, qui ramum floriferum, per *Hacquetum* a famoso illo *Reineggso* acceptum foliis gaudere modo ternatis, modo pinnatis, modo tri-pinnatis observavit. Parum stabilia argumenta eum docere visa sunt, novum genus constitui hoc frutice, nempe *Balsameam meccanensem* dicendum, quum tamen haud sufficienter flores, fructus autem minime indagaverit 15).

Denique et *Jacobus Brucius*, illustris peregrinator, delineavit Balessan suum, seu *Balsami fruticem* foliis ternatis, quinatis, septenatisque, licet prava sit icon 16). Et *Willdenowius* ipse, licet utramque speciem singulatim proferat, nequaquam inficiatur, forte non esse distinctas, sed et solo et aetate compositionem foliorum variare 17. Id quidem dubium, collectis omnibus iam adlatis testi- moniis, in veritatem claram abire videtur, unicum speciem adesse *Amyris Opobalsamum* dicendam, quae modo ternatis, modo pinnatis foliis gaudet, atque pedunculos ferat unifloros laterales.

14) *Amoenit. acad.* vol. VII. p. 69.

15) *Schriften der berl. Gesellsch. naturforsh. Freunde*, B. III, S. 116. 127, tab. III, fol. 2.

18) *Bruce's Reisen*, Th. V. Pl. 2. 3.

17) *Spec. plant.* tom. II, p. I, p. 334. 335.

Item de patria huius fruticis quaerendum est, de qua quidem varia et sibi contraria fere antiquitus proleta sunt.

Qui inter antiquos optime balsami fruticem descripsit, *Theophrastus* nullibi sponte provenire eum perhibet, sed coli in horis duobus Syriae 18). Licet *Strabo* de iisdem paradisis balsami syriacis prope Hierochuntem sitis loquatur 19), alio tamen loco disertis verbis fatetur, apud Sabaeos in locis Arabiae maritimis provenire eos frutices 20). Cum eodem consentit *Josephus* 21), qui Sabaeorum reginam Salomoni attulisse prima fruticis huius exemplarja, ut in Gileadensem regionem transplantare iuberet, testatur. Ei testimonio contrariam opinionem profert *Brucius*, cum a pristina inde antiquitate circa Gilead provenisse eos frutices statuit. Id autem efficit e loco *Geneseos* 22), ubi Ismaelitae dicuntur e Gilead praeter aromata etiam Zeri in Aegyptum transvexisse. Eam vocem Zeri interpretes vulgares reddunt balsamum. Neque tamen desunt, docente illi, *Sprengelio*, commentatores Judaici, qui vel terebinthinam vel aliam resinam intelligunt. Idem praceptor re-

18) L. c. p. 996. 997.

19) Lib. XVI. p. 1099. ed. *Almeloveen*.

20) Lib. I. p. 190.

21) *Antiq. judaic.* lib. V. p. 230.

22) C. XXXVII. 25.

tulit, in versione septuaginta interpretum eam vocem resinae nomine reddi: syriaco idiomate ad finem vocem Zaro mastichen significare, unde satius esse videtur, mastichen, (cuius mater Pistacia Lentiscus est, in Palaestina et praeprimis circa Gilead proveniens,) mastichen inquam in Geneseos eo loco adsumere, quam balsamum.

Suo tempore *Dioscorides* 23) in unius Judaeae peculiari quadam convalle et in Aegypto nasci balsamum profitetur, neque an sponte ibi nascatur frutex, diserte exponit. *Plinius* soli Palaestinae eum fruticem adjudicat, qui a Pompejo triumphante et ab Imperatoribus Vespasianis Urbi ostensus fuerit: pro quo etiam dimicatum fuerit, quum Iudei ipsi in eum saevirent, a Romanis defensum 24). In Arabia crescere succumque eius a serpentibus amari, refert e rumore vago *Pausanias* 25). Id judicium de patria confirmat *Prosper Alpinus* 26); confirmat etiam *Belonius* 27), qui oppidum Beder aut Bedruna, inter Meccam et Medinam situm, montibus ambiri narrat, in quibus balsami frutices non raro crescant. *Forskoleus* invenit arbores suas balsamiferas ad Oude prope ab urbe Haes in Arabia fe-

23) Lib. I. c. 18. p. 17. ed. *Sarracen*.

24) Lib. XII. c. 25. p. 672.

25) Lib. IX. c. 28. p. 86. ed. *Fac*.

26) *Dialogus de balsamo*, p. 16. (4. Patav. 1639.)

27) L. c.

lici 28). Denique *Bruciis* Abessiniam peragrans inventit sponte crescentes balsami frutices ad Assab, seu veterum Sabam, oppidum ad mare rubrum situm. In eius vicinia sponte crescere arbusculam hanc usque ad promontorium Bab - el - mandeb dictum, inter myrriferas arbores, inde vero a Sabaeis in Arabiam felicem, forte primum in Beder aut Bedruna, fuisse transportatum 29).

Haec sunt, quae de patria huius fruticis constant, unde colligendum est, Africam potius quam Asiam eum sponte produxisse, deinde in Arabiam, ex Arabia vero in Iudeam et in Aegyptum transplantatum fuisse.

De modo vero, quo succus is elicetur, varia et veteres et recentiores referunt.

Quem primo loco nomino, *Theophrastus*, sequentia narrat: Arborem punicae malii magnitudine incidi unguibus ferreis sub aestu maximo, sed quod manat, multum non esse, vix enim toto die concham posse impleri. *Dioscorides* Pyracanthae magnitudinem et similitudinem habere eum fruticem adserit, differre autem secundum proceritatem, gracilitatem

28) L. c. p. 801

29) L. c. p. 28, 29,

et scabritiem. Sub aetu maxime excipi opobalsamum unguibus ferreis incisa arbore. Sed tam paucum extillare, ut quotannis vix plures, quam seni septenive congii colligantur, inibique pondus duplo argento rependi. *Plinius* incidi vitro, lapide osseisque cultellis adfirmat arbusculam, Ferro laedi vitalia odisse plantam. Emoriri protinus, eadem amputari supervacua patientem. Incidentis manus librari artifici tempore, ne quid ultra corticem violet. Succum e plaga manare, eximiae suavitatis, sed tenui ploratu, lanis colligi in cornua. Ex his novo fictili condi, crassiori simile oleo et in inusto candidum. Rubescere deinde, simulque decrescere e translucido. Ter vero arbores percuti omnibus astatibus, postea deputari.

*Symeon Sethus* 30) in Aegypto cultam arbusculam ultra duos cubitos non emergere: ferro incidi inferiorem caudicem versus autumnum, elici oleo similem succum, cui vasis commisso supernatet albidum et tenue oleum, quod pretiosissimum, medium vero subfulvum: faecibus autem uti Aegyptios ad smegmata manuum.

Cum his veteribus consentit fere *Prosp. Alpinus* 31, gravissimus testis. A scarificato enim caudicis cortice destillare aestate opobalsamum, statimque eductum albescere, postea in viridem, tertio in au-

30) *De cibariorum facult.* p. 9, ed. *Gyrald.*

31) *De plantis Aegypti*, p. 54.

reum, denique in melleum colorem mutari. Olere initio acutissimo et eximio odore, qui multis capitib⁹ dolorem concitare soleat, senio vero confectum vix sentiri in eo aliquem odorem. Refert praeterea: Scherifum Meccae, e gente Muhammedis, mittere quotannis Turcarum regi opobalsami tres aut quatuor libras, praefecto Caii libram, et praefecto peregrinatorum Meccam visitantium semilibram. Unde divinare licet, eius succi commercium solius Muhammedis gentis praerogativum esse, quae et fraudem facile committere et pretium substantiae pro lubitu augere potest.

*Brucius* non inficiatur, caute esse incisionem perpetrandam: securi tamen hodie eam fieri, atque exeunte aestate, ubi succus vegetiori gaudet circuitu. Balsami frutices arabicos incidi a solis tribus sacrae Muhammedicae filiis: confirmat ceteroquin, quae Alpinus de pensione quotanni, a Scherifo Meccae exacta, refert.

Opobalsami genuini notas, maxime eas, quibus discernitur ab adulterato, veteres uberrime ac disertissime tradiderunt. Praeter odorem fragrantissimum Dioscorides requirit sinceritatem, acoris defectum, dilutionem facilem, levitatem, adstringentem et submordicantem gustu indolem. Vitiari vel melle, vel cerato myrtino aut cyprino, olco terebinthino, lentiscino, balanino aliisque: ea autem maleficia facile deprehendi: siquidem sincerus lanae in-

B

stillatus, si deinde eluatur, neque maculam facit neque notam ullam relinquit: at vitiatus inhaerescit. Genuinum etiam ait lacti instillatum illud coagulare, quod spurius non efficiat. Quin et sincerum lacti aut aquae infusum celeriter diffundi ac lactescere; at adulteratum olei modo innatare ac in orbem circumagi. Hallucinari porro, qui genuinum balsamum existimant aquae instillatum prius ad ima sidere fundumque petere, ac postea tanquam qui facile diffundatur et diffuat, sursum remeare.

His addit *Plinius*: optimum colorem rufum esse, secundum albidum. peiorem viridem, pessimum nigrum. Nec manifestiorem esse alibi fraudem: quippe millibus denariis (100 thaleris) sextarii empti vendente fisco trecentis denariis (30 thaleris) venire. „In tantum, addit, expedit augere liquorem.“

Legitimum credit balsamum *Symeon Sethus*, si ferrum eo inunctum et igni admotum candeat, deinde si aquae infusum statim fundum petat. Alias etiam notas adfert, quae a veteribus desumit. Refert Prosper *Alpinus*, opobalsamum verum recens eductum per quinquennium turbidum manere, a quo tempore durescere incipiat, per decennium fere ipsum clarissimum ac ut aurum splendescere, postea senescens turbidum rursus evadere. Senescens quoque statim fundum petere, aquae immissum. Cum his consentiunt omnino, quae *Brucius* adfert.

Quam *Veslingius* praedicabat notam, pelliculam nimirum aquae innatantem, cui gutta huius balsami

instillata fuerit, reiicitur ab aliis, qui eamdem pelluculam nasci ex oleo iuniperi aut resina pini vel abietis ostendunt 32).

Nunquam autem contentio acrior orta est de veri opobalsami examine, quam saeculo decimo sexto, cum Venetiani accusarentur a Romanis, adulteratum opobalsamum ad conficiendam theriscam adhibere. Plusquam viginti libri de hac re conscripti sunt, quorum aliquot colligit *Volckamerus* in *Examine Opobalsami*. Norib. 1640.

Quod vero usum opobalsami attinet, a prisa antiquitate iam velut irritans et calefaciens commendatum fuit. Ad menstrua, lochia, lotium ciendum; adversus vertiginem, tussin, orthopnoeam, et serpentum morsus et aconiti toxicum exhibebatur. Et hodie Aegyptii Arabesque adhibent ad omnes pene morbos. Vulnera autem mirifice eo curari *Alpinus* 33) ipse testatur: fatetur etiam, in serpentum et scorpiorum morsibus maxime iuvare: in peste, ut ab eius contagio caveatur, nihil maius aut utilius orientales populi agnoscent, si modo quotidie drachma dimidia vorari possit. Quod vero experimentum perpauci, obsummum huius balsami pretium instituere possunt,

B 2

32) *Murray apparat. medic.* vol. IV. p. 41.

33) *De plant. Aegyp.* p. 56.

Ea praeconia si ad verum exiguntur, non sati-  
firma esse videntur. Etenim balsamum illud haud-  
quaquam aliis constituitur partibus ac reliqua, imo  
ipsi terebinthinae similem habet fere compositionem.  
Etenim praeter oleum aethereum, fragrantissimi odoris  
caussam, continet acidi benzoici exiguum copiam,  
quam et in balsamo canadensi et peruviano et aliis  
deprehendimus. Eiusmodi balsama commoda esse in  
organorum urinariorum vitiis experti sunt medici: quin  
etiam nonnunquam ulcera interna posse incitante eo-  
rum effectu consolidari. Id credibile etiam esse de bal-  
samo Meccano, experientia constat tum *Quarini* 34),  
tum *Sydenhami* 35). Huius vero audacia, qui in  
ipsa virulenta blennorrhoea illud exhibuit, taxanda po-  
tius est, cum in secundaria duntaxat adhibendum esse  
videatur.

Exhibitetur autem, sicut et alia balsama, gutta-  
tim cum saccharo, gummi arabica, mucilaginibus  
aut vitello ovi subactum. Alioquin etiam difficulter  
digeritur, nimisque stomachum et intestina irritare  
ac sanguinis circuitum accelerare solet.

Olim etiam fructus seu drupas huius Amyridis,  
nomine *Carpobalsami* ad conficiendam theria-  
cum aut mithridatium adhibebant. Sed desuevit  
eius usus. In Arabia quoque exprimitur non raro

34) *Animadvers. pract.*, p. 89.

35) *Opp.* p. 334.

e ramis oleum, multo peius vero opobalsamo, Xylobalsamum dictum, de cuius coctione Prosper Alpinus plura tradidit.

V.

AMYRIS AMBROSIACA,  
*fol. pinnatis. foliolis septenis periolatis oblongis acuminatis, pedunculis multifloris subcorymbosis axillaribus.*

Eam speciem primus invenit Aubletius in sylvis Guiana et ad litora maris, bonaque icone illustrari curavit (36).

Arbor est ad triginta pedes et ultra semet elevans, cortice subrufo, rugoso, fisso et inaequali, ligno albo, media parte rufescente. Foliola sunt vittidia, glabra, integra. Capsulam fert drupaceam in duos, tres aut quatuor loculos dissilientem, in quovis loculo nucleus unicum continentem.

Inciso cortice effluit succus purus, spissidus, balsamicus, fragrans, qui siccatus abit in resinam albido gryseam, qua utuntur incolae ad suffimenta. Eius resinae drachimam unam in vino rubro exhibent incolae Guiana contra dysenteriam. Pulpa fructus

(36) Histoire des plantes de la Guiane française, tom. I, pl. 130. p. 337.

etiam viscosa indurescit in resinam gryseam ad suffi-  
menta utilem.

*Rouellius* credit, Ambram gryseam esse suc-  
cum resinosum huius arboris, qui per terram col-  
tus, tandem aqua marina transformetur in Am-  
bram 37). Ea opinio confirmari videtur *Rumphii* testi-  
monio, qui tum e *Canario* suo odorifero, tum e  
*Nanario* minimo, tum etiam ex arbore *Roweyl* dicta  
resinam sudare prohibet, cum ambra quadantenus  
odore congruam. Retulit etiam procurator batavus  
insulae *Mauritii*, in ea insula, non procul a mari  
crescere arbores vastissimus, quarum radices semper  
versus mare sese extendunt, istumque succum odo-  
ratum sudant, qui in mare delabens maris fluxu  
ventisque appellatur ad litora orientalium insula-  
rum 38).

Id etiamnum similius vero fieri videtur, si si-  
milem appulsum fructum *Lontari* domestici  
*Gärtn.*, seu nucis *Cocos* maldivicae ad litora insu-  
larum maldivensium ac Africae orientalis perpendi-  
mus. Etenim is fructus, insignis molis, ante cen-  
tum hos annos inter rarissimos ac pretiosissimos  
numeratus, auri fere aut argenti saltem duplo pon-  
dere emebatur, quum patriam eius nemo nosset.  
Postquam autem insulae *Sechelles* detectae essent,

37) *Willdenow* spec. plant. tom. II. p. 1. p. 336.

38) *Rumph.* herbar. amboin. vol. II. p. 164.

palmam Galli invenerunt, huius fructus feracem, cuius deinde pretium adeo eviluit, ut in quovis fere museo eiusmodi fructus iam animadvertere possis 39). Ii fructus solius maris fluxu ab insulis Sechelles usque ad Maldivenses per spatium centum et quinquaginta milliarium, et ad litora Africae orientalis, per intervallum octoginta milliarium appelluntur.

Itaque simile quid Ambrae gryseae accidere, facili coniectura aliquis consequetur.

At vero plura obstant, quominus hanc sententiam amplecti possimus. Ambram enim gryseam, quae in tam diversis mundi partibus, quae plurimis millibus milliarium distant, uti in India occidentali, Madagascar, Mauriti insula, in Maldivensibus, ad novae Hollandiae et Guineae oras et in insulis fere omnibus ad Eurum sitis legitur, tantum e talibus arboribus provenire, a vero longissime alienum videtur. Quantopere enim remota nova Guineae a Mascarenis insulis, quibus adnumeratur Mauriti insula! Et, si Rouellii sententia vera fuerit, fieri plane nequiret, e Guiana oris ad insulas Oceani orientalis posse levissimum hunc succum transvehi.

Cum Lontari fructibus longe alio modo se res habet. Ii enim graviores, grandiores facilius possunt ad magis vicinas insulas et oras appellari.

39) Sonnerat voyage à la nouv. Guinée, p. 3. 4. — B. Bergius von Leckereyen, Th. I, S. 59. 60.

Accedit gravissimum argumentum. Notum nempe est, sub zona torrida in libero oceano ventum fluxumque fere per totum annum ex orientali parte flare atque profluere. Nullum autem exstat exemplum, fructus quosdam aliasve res ex hisce versus Eurum sitis insulis ad Occidentem in Africam et Madagascaram prolabi; multo minus ergo ex istis regionibus in orientem.

Denique certo certius est, ambram, sepii loliginis et octopodiae ossibus mixtam in corporibus physeterum reperiri, quod celeberrimo et nuperrimo testimonio *Championi* extra omnem dubitationis aleam ponitur 40). Id iam Arabes cognoverunt. Namque *Serapion* 41), et qui eum sequitur, *Symeon Sethus* 42) e cetaceis sumi eam substantiam prohibent. Immerito apud *Willdenovium* (1 c.) *Dioscoridis* et *Plinii* testimonia adferuntur. Videtur autem ea massa simili modo ac moschus et castoreum, generari, similibusque et quidem animalibus conflari particulis. Constat enim ambra principio extractivo, pinguedine animali, oleo fragrantissimo et ammoniaco 43). Quae quidem partes et in moscho praedominantur 44).

40) *Voigts Magazin für die Naturkunde*, B. VIII. St. I. S. 77.

41) *De simpl.* c. 196, f. 150. ed. *Surian*.

42) *L.* c. p. 9.

43) *Gf. Sam. Kriell et Abr. Abeleven in Histoire de l'acad. de Berl.* ann. 1763. p. 125 — 144.

44) *Werner diss. de Moscho*, *Gott.* 1784.

VI.

AMYRIS ZEYLANICA,

*fol. pinnatis petiolatis glabris, racemis interruptis axillaribus.*

Eam speciem, nondum delineatam, *Königius* in insula Zeylan detectam cum *Retzio* 45) communica-  
vit, cuius descriptionem hic adiungere licet;

Arbor est cortice cinereo. Folia pinnata, qui-  
nata vel septenata, foliolis petiolatis ovatis, inte-  
gerrimis, nudis, venis fere transversalibus. Pedun-  
culus axillaris, elongatus, tomentosus, in quo glo-  
meruli nonnulli florum involucrati: infimus pedi-  
cellatus, superiores sessiles. Involucra cordata, ses-  
silia, tomentosa. Calyx subglobosus, tridentatus,  
coriaceus, tomentosus, corolla maior. Petala tria  
cava, extus tomentosa, margine fusco nudo. Sta-  
mina sex. Drupa sicca, ovata, sesquipollucaris. Nux  
ossea, crassa, praeter loculamentum pro nucleo bina  
habet in ipsa substantia ossea nuci parallela foramina,  
quasi trisperma esset nux.

Haec quidem in sicco exemplari instituta ana-  
lysis differentiam quandam indicat partium fructifi-  
cantium, quae posset forte componi, si in recenti-  
bus floribus experientur scrutatores, quonam modo  
congruat cum ceteris Amyridis speciebus.

45) *Observ. botan. fasc. IV. p. 25. f.*

Id tamen persuasum habet Retzius, hanc arborem largiri verum officinarum Elemi.

Ea resina, veteribus ignota, a saeculo decimo sexto inde in officinas nostras introducta est. Veram resinam esse, patet ex Neumannii analysi, qui triginta unam partem totius substantiae puram invenit esse resinam, praeterea decimam sextam partem constitui oleo essentiali fragranti 46).

Exstat in officinis nostris eius nomine massa solida, semipellucida, flavescens cum mixta virore, americana, odore ad anethum accedente. Quanquam olim interno usui commendabatur ad menses pellendos, hodie tamen velut irritans soli fere balsamo Arcaei admiscetur, quod ad digestionem vulnerum adhibetur.

46) Murray appar. medic. vol. IV. p. 30.

---

## THESES.

---

### I.

Diagnosis encephalitidis dubia.

### II.

Febris biliosa affectio, soli systemati bilifero in-  
haerens.


III.

Virtus antisyphilitica acidi nitri nondum satis pro-  
bata.

IV.

Mortis signa dubia sunt.

---



7214 Nr. 49 I. 55 5000

